DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

IMAGINATIONE;

ET PRÆCIPUE EJUS DE VIRIBUS IN

MORBIS INDUCENDIS ET SANANDIS.

10

DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

IMAGINATIONE;

ET PRÆCIPUE EJUS DE VIRIBUS IN MORBIS INDUCENDIS ET SANANDIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ROBERTUS LIDDERDALE,

SCOTUS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ALEX. SMELLIE.

1796.

Viro eximio

GULIELMO OLIPHANT,

ARMIGERO,

Portorii apud Letham

EXACTORI REGIO,

Comi, benevolo, liberali,

Literis humanioribus, ſcientiis,

Et,

Omnibus denique mentis dotibus,

Quae illum amicorum delicias reddant,

Ornato;

Pro amicitia,

Qua ſe, per plures annos, benigniſſime

Dignatus eſt:

Itemque,

Itemque,

Viro cariſſimo,

JACOBO CRIRIE, A. M.

Qui

Teneros illi pueriles annos

Optimis diſciplinis,

Boni amore,

Honeſti ſtudio,

Sedulo inſtituit;

Ætatis juvenilis

Amico fido, liberali;

Opuſculum hocce,

Animi illis propter beneficia ſemper devincti,

Monumentum quidem pertenue

Sacrum voluit

ROBERTUS LIDDERDALE.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

IMAGINATIONE;

ET PRAECIPUE EJUS DE VIRIBUS IN

MORBIS INDUCENDIS ET SANANDIS.

"IMAGINATIO eſt facultas, qua homo
" varias res, quas memoria recondide-
" rat, ad arbitrium ſuum conjungit, dividit,
" et novo ordine diſponit; veluti ſi mixtis
" et compoſitis, viri et equi, mulieris et
" piſcis, formis, Centaurum aut Sirenem ſibi
" finxerit *."

Imaginationem, nec dignitate nec utilitate, ulli humanae mentis facultati cedere,

A omnes

* GREGOR. Conſpectus Med. Theor. Vol. I. p. 158.

omnes consentiunt. Omnium certe facultatum maxime agilis haec, nam fere semper agit, et ad agendum valet. Ita Cicero solita dixit elegantia, " Animorum est ea vis " atque Natura, ut vigeant vigilantes nullo " adventitio pulsu, sed suo motu, incredi- " bili quadam celeritate. Quae est enim " forma tam inusitata, tam nulla, quam " non sibi ipsi animus posset effingere ? ut " quae nunquam vidimus, ea tamen forma- " ta habeamus, oppidorum situs, hominum " figuras. Nihil est enim de quo cogitare " nequeamus. Cum desertus etiam ani- " mus languore, vel somno corporis, tum " agitatur ipse per se."

Imaginationi debemus poesin, picturam, sculpturam, denique omnes quaecunque elegantes ac liberales artes vitam excolant et ornent. Ab eodem quoque fonte, ratione regente et adjuvante, profluxit flumen illud scientiae, quod nunc tam vastum et amoenum contemplamur et veneramur, humani monumentum ingenii inclytum, perenne. " Neque solis poetis (verba sunt

" Gregorii)

"Gregorii) utilis facultas; quippe cujus
"ſpecies, rerum ſimilitudines et convenien-
"tias, a vulgo hominum non obſervatas,
"fingat, quaerat, detegat, ad conjecturas
"primo, ad veram ſcientiam, tandem per-
"ducens. Huic forſitan Neutonum pari-
"ter ac Homerum debemus." Imagi-
"natio (ait cel. Steuart) eſt magnum ho-
"minibus agendi principium, praecipua-
"que, per quam augeatur humana virtus et
"ſcientia, cauſa. Cum maxime delectetur
"in pingendis menti rebus et hominibus,
"quam quos vidimus adhuc, vel forſan
"unquam extiterint, perfectioribus; obſtat
"quo minus contenti eſſemus ſorte, qua
"nunc fruamur; vel iis quae jam conſecu-
"ti fuerimus; noſque, quo majora, altiora
"et praeſtantiora, appetamus urget *."

Omnes, quos Imaginatio pariat, effectus indagare, et eruere, opus certe nobiliſſimum, magnique momenti. Hi tamen ita ſunt multiplices, tota hujus rei inveſtigatio tantis premitur

* Stewart's Elements of the Philoſophy of the Human Mind.

premitur difficultatibus, tam undique ardua, ut vix, aut ne vix quidem, ſperare liceat auctorem, qui id conficiat, cito oriturum. Auctores minime, de hac re, pro magnitudine et utilitate, hactenus diſſeruerunt. Quaedam de Imaginatione ſaepiſſime memorata et optime nota, fere illuſtrare conati; dum alia, haud levioris momenti, paullo tantum difficiliora, vel magis quaſi remota, omnino neglexerint, vel quam leviſſime tetigerint. Mihi quidem veroſimilē videtur, illos non ſemper, nec etiam ſaepe, quantenus hujus imperium facultatis pateat, intellèxiſſe.

Plurimum forſan ad hanc promovendam inveſtigationem conferret, ſi philoſophi minus late vagàrentur, et ſingulares ad hanc pertinentes res diligentius exquirerent, et accuratius perpenderent. Omnes enim inter ſe tam arcto nexu conjunctae partes, ut quodcumque novi et utilis in aliqua, vel ſit patefactum, vel inventum, parte, lucem omnibus affundet. Sic vir ille felix, cui tale contigerit, non ſolum ad nova, et majora adhuc, indaganda et eruenda incitetur,

ſed

ſed omnes homines, quamcunque hujus orbis explorantes regionem, ad loca quaſi magis edita tollantur. Eſt ea autem natura mentis humanae (talem ſapientiſſimus rerum parens finxit) quòd Salluſtius de Catalina eleganter dixit, illam, " incredibilia, " nimis alta cupere."

Una hujuſce rei pars, (vis nempe qua Imaginatio ad mentis vel corporis valetudinem, ſive bonam, ſive malam, afficiendam pollet,) et cujus indagatio plurimum medicinae certo, multumque forſan philoſophiae humanae mentis, intereſſet, adhuc fere inculta jacet. Nec quidem omnino ignota vel neglecta fuit: illius enim meminit, et eam philoſophis, praeſertim tamen medicis, vir ſummus Verulamius commendat. In primo quarti libri capite praeſtantis, " de dig- " nitate et Augmentis Scientiarum" operis, ubi de nexu, qui mentem inter et corpus intercedat, de effectibuſque, quos in ſeſe invicem producant, agitur, ita dixit. " Ne- " mo enim Medicus eſt paullo prudentior, " quin *accidentia animi*, ut rem maximi

" ad

" ad ſanationes ſuas momenti, quae omnia
" alia remedia, vel plurimum adjuvent, vel
" impediant, conſideret et tractet. Ad ali-
" ud quidpiam, (addit) quod huc pertinet,
" parce admodum, nec pro rei vel ſubtili-
" tate, vel utilitate, inquiſitum eſt; qua-
" tenus ſcilicet (miſſis affectibus) ipſa Ima-
" ginatio animae, vel cogitatio perquam fixa,
" et veluti in fidem quandam exaltata, va-
" leat ad immutandum corpus imaginan-
" tis?" Eadem quoque res, in aliis ſuorum operum locis, notatur. Sic in libro, cui titulus "Sylvae Sylvarum," ſunt haecce verba. " Nobis indubium eſt Imaginatio-
" nem acrioreſque affectus plurimum va-
" lere in corpus Imaginantis *." Alii quoque ſcriptores ejuſdem meminerunt.

Fere tota etiam medicinae praxis, inter rudes populos, a tali vi Imaginationis in corpus, pendet. Herbis, ſponte circumnaſcentibus, nonnunquam quidem utuntur; nec dubitare liceat, illas, phyſicis quibus inſtru- antur

* Baconis Sylv. Sylvar. Centur. X. pag. 500. Edit. Wetſten. Amſtelodam, 1694.

antur dotibus, haud raro proficere: Mihi tamen verosimilius videtur, effectus, quoscunque produxerint utiles, pompae, qua adhiberi solent, superstitiosae potius tribuendos. Quomodo aliter rationem reddere speremus, cur quaedam olim tam celebres, a hominibus doctioribus et magis excultis, ut inutiles omnino negliguntur et contemnuntur. Amuleta autem, incantamenta, Musice, pro rebus variata, praecipua fere quibus fidunt remedia.

Sed dum tot, quam sit nobilis haec indagatio, et utilis, nobis fidem facere conferant, ipse Verulamius confitetur eam imprimis difficilem. "Inquisitio (inquit) nobilis pro-
"fecto esset usûs; sed (ut ait Socrates) na-
"tatore Delio indiget; nam mergitur in pro-
"fundo." "Sentio tamen (verba sunt
"summi Boerhaavii de animi morbis actu-
"ri) in hac parte magnam difficultatem;
"nam, in hoc interno homine, non occur-
"rit inflammatio vel suppuratio, sed muta-
"ta cogitatio, qua unus se putat mutatum
"esse in lupum, alter in vaccam, tertius se

" totum ſtramineum eſſe; huc etiam refe-
" rantur omnes morbi eruditorum, Melan-
" choliae, Epilepſiae, Apoplexiae, et Con-
" vulſionum origo et progreſſus. Haec
" vero materia, a multis medicis, valde fuit
" neglecta; nam quaeſiverunt horum mor-
" borum originem in ſanguine, in lympha,
" in aliis humoribus; pro medela laudant
" lanceolam chirurgicam, clyſmata, emplaſ-
" tra et paucas quaſdam formulas *." Hiſce tantis forſan difficultatibus tribuendum, rem adhuc tam parum excultam.

Nec quidem mihi in animo eſt, de omnibus, quos Imaginatio in corpore oſtendat, effectibus hic diſſerere. Nam, ſummae certo in me foret arrogantiae, ſi meipſum ad hanc rem, pro dignitate, inveſtigandam, parem putaverim; praeterea, hoc me longius traheret, quam finibus tali tentamini praeſcriptis conveniat. Quantam ad paucos morbos inducendos, et gravandos, ſanandos, et leniendos vim habeat Imaginatio, id ſolum ſtatuere nitar. Dicendum tamen, non ſo-
lum

* Boerhaav. de Morbis Nervorum ſub initio.

lum morbos, quibus primo corpus obnoxium, ſed illos etiam, qui mentem primo praecipueque afficere videntur, intelligi velim. Ante tamen quam propius ad hanc rem accedam, paucis, annon fides Imaginationi revera detur, quaerere ; et quaedam de nexu Imaginationis cum pathematibus differere, par videtur.

Multum inter Metaphyſicos nuper agitatum, num ſcilicet fides actionem Imaginationis comitetur unquam. Quaeſtio haec haud parvi momenti ; et cum, ad res de quibus hic agitur, multum pertineat, diligentius perpendere, par omnino videtur. Vir ſummus, et de philoſophia humanae mentis optime meritus, D. Reid aſſerit, nullam unquam fidem, ideam, quacum Imaginatio occupetur, comitari ; opinionem quam, omnes fere qui praeierunt philoſophi tenebant ; et plurimi qui nuper ſcripſerunt, amplectuntur et vindicant. Quidam etiam auctores Memoriam inter et Imaginationem hoc diſcrimen poſuerunt, actiones memoriae fidem comi-

tem ſemper, actiones Imaginationis nunquam habere, dicentes.

Haecce ſententia, ſeculorum auctoritate firmata, nuper a philoſophis paucis non parvi nominis, re omni cura et attentione perquiſita, in dubium vocata eſt. Inter eos eminet *D. Steuart*. Vir hic egregius, a ſententia aliorum modeſte et diffidenter, ut par eſt, diſcrepat; ſuamque et multis, et ingenioſis, ratiociniis, et illuſtrationibus quibuſdam, et elegantiſſimis, et rei accommodatis, tueri, et ſtabilire nititur.

Scriptores memorant, et omnes fere notarunt, mentes quorundum, per annos teneriores, fide manes, hiſque ſimiles, tenues et exiles formas, revera exiſtere, tam alte penetratas fuiſſe; ut ii, ne quidem breviſſimum tempus, ſoli in tenebris permanere auderent; etiamſi probe noverant, quae timebant, nunquam extitiſſe. Cel. Reid exemplum hujuſmodi, quod ipſe viderat, profert. "Virum "novi, qui dummodo ſol terris affulgeret, "vel amici adeſſent, ineptias vulgi de manibus omnimodiſque ſpectris, nocte gaudenti-

"bus,

" bus, tempſiſſet, et riſiſſet; attamen qui, ſolus " in conclavi ſomnum inire, immo ſolus in- " gredi auſus nunquam." Sicque de eo ratiocinatur idem, " Licetne dicere tantum illius " timorem a nulla fide periculi oriri? Mi- " nime vero; attamen a philoſophia edoc- " tus fuerat, et credidit ipſe, nihilo ma- " gis periculum inter opaca noctis, ei ſoli, " quam luce aut amicis praeſentibus, metu- " endum. Hic falſae quaedam et ineptae " opiniones, quibus nutrix, ipſa nimis cre- " dula, mentem credulam imbuerat, tam " penitus inſediſſent, ut vitae rationem re- " gerent, nec philoſophiae diſciplinis, nec " ſua prudentia, nec amicis conſiliis delen- " dae." Auctor hic egregius rei quoque meminit alius, quae priori ſimilis, ſuae ſententiae prorſus adverſa videtur. " Plurimi " homines (ait) a ſumma turris corona, ali- " uſve editiſſimi loci faſtigio, quamvis ipſi " ſe credunt omnino tutos, deſpectare ne- " queunt *." Modus facillimus, ſimpliciſſimus, pariter et optimus, me ſaltem judice, hujuſce

* Reid's Eſſays on the Intellectual Powers of Man.

hujufce rei explicandae fide Imaginationi ftrenue agenti data nititur.

Nonne quoque a fomniando argumentum pro eadem fententia afferre licet? Somniando quidem, facultas haec effictrix, inter res fibi maxime fecundas, agit. Caeterae fere omnes facultates, nifi forfan memoria intellectus dictae, corporis inftar, otio frui videntur. Voluntas nil amplius imperat. Imagines, quaecunque menti obverfentur, maxime vividae fiunt: In iis intuendis homo totus eft, fcilicet qui, ut res poftulent, agit; auctorem, qui vigili placuerat, admiratur adhuc; vel jucundis gratifque amici colloquis delectatur.—Mihi omnino probabile videtur talia faepe dum vigilemus fiant. Nonne poeta, phantafiae alis fublime raptus, novos orbes, quos ad arbitrium finxerit, veros aliquando effe credit? In illis, omnibus follicitudinibus et curis, quae caeteros mortales exagitent, angant, terreant, ille omnino vacuus, late fpatiari gaudet. Nunc montes, alium fuper alios, ad coelum ufque afcendentes videt: fumma eorum cacumina, nive

geluque

geluque rigentia, vel nubibus atris densissimis obvoluta, voluptate, grata cum magni rerum opificis reverentia mixta, aspicit, miratur: nunc flumina quae praeterfluunt vasta contemplatur; sive illa ventis agitata tumeant, seu quieto placidoque cursu ad mare volvant undas: nunc campos longe lateque patentes, hominum boumque laboribus, et Bacchi Cererisque donis laetos ridentes, pervagari mavult. Domina De Stael, femina nobilis, quae et ingeniose et elegantissime, de vita et scriptis J. J. Rousseau disseruit, dicit virum hunc illustrem, tam musis carum, "Semper somniasse potius quam vixisse; "nam Imaginatio nimium potens, imperio "rationis et judicii neglecto, pariter et "contempto, vitae modum ei omnino rex-"it *."

Mihi verisimile videtur ardorem pugnae tam mirabilem, qui tam multa millia militum accendit, et eos omnium voluptatum vitae, et terrorum mortis pariter immemores ad

* M. De Stael on the Life and Writings of J. J. Rousseau.

ad praelium committendum urget, fidei, quae ideas Imaginationis ſaltem vividiores comitatur, tribuendum. Nonne ſic concipere licet, Imaginationem militis ante certamen initum, magna praemia laborum quae poſt fauſtum et felicem exitum accipiet, et gaudia quibus poſtea cum amata conjuge et caris liberis fruetur, ſaepe ſibi depingere geſtire? Ita omnes animi affectus, quo munia peragant, accenduntur: Illorum actione quaſi reflexa Imaginatio ad niſus adhuc majores excitatur: quo fit ut ejus ideae magis vividae ad decipiendum aptiores evadant, donec tandem veri ſpeciem omnino ſibi comparent: affectus creſcunt quoque magis magiſque, et illius et horum denique viribus conjunctis, et ad ſummum perductis, mentem, nunc ſui parum compotem, quocunque velint, ſecum rapiunt.

In coetibus frequentibus, cum res qualeſcunque, quae Imaginationem accendunt exaltantque, exhibentur, nonne hanc ſententiam firmatam ulterius videamus? Quomodo enim effectus, a tragoedia in theatro exhibita

exhibita provenientes, aliter explicare possimus? De effectibus tragoediae, et de modo quo nascantur, multa a variis, nec parvi nominis auctoribus, dicta, disputata, ratiocinata sunt; sed mihi, fatebor, res haud explicanda videtur, nisi prius concedatur fidem, utcunque brevem, Imaginationem valide agentem comitari. Historia a summo Boerhaavio relata, doctrinam hanc, me judice, haud parum firmat. "Virum novi (inquit) de quo vere dici posset, quod esset "justus et propositi tenax, nec ullo metu "imminentis hostis, nec mobilitate vulgi "frangeretur: ille invitatus Amstelodamum "videbat, ea occasione, in theatro scenico, "personam qui representaret Agamemnona, "cum unica ejus filia immolaretur: certe "vir, cui hae partes demandatae sunt, celebris Adamus Caroli ad illud quasi a natura factus videbatur, ita ut (quod ille philosophus postea mihi fassus est,) simulac videret hominem ingredientem cum tali "facie ac gesticulatione, antequam verbulum adhuc loqueretur, gelidum cucur-

"risse,

" risse, per ossa tremorem; sed quando in-
" cipiebat loqui, tunc magnus noster philo-
" sophus lacrymabatur, licet huc venisset ut
" ineptias et figmenta aliorum rideret. En
" (pergit ille), hîc ostenditur res falsa; ani-
" mus ad gravitatem est compositus; et ta-
" men talis vir permovetur *." Nonne hinc concludere licet Imaginationem fortem, fortiterque munia obeuntem, non solum fidem aliquando comitem habere, verum etiam superare posse fidem, quam antea habuerimus satis perfectam, ea, quae nunc spectemus et doleamus, nec vera esse, nec fuisse unquam.

Res quaedam adhuc manet memoranda, quae ad hanc litem dirimendam haud parum conferat; cujusque, ab iis quae hac dissertatione tractantur, praesertim meminisse ducor. Nonne morbi haud pauci, inter quos eminent hypochondriasis, melancholia, mania, a fonte memorato originem saepius ducunt? Nonne verisimile est quoque epilepsiam, hysteriam aliosque quosdam morbos

* Boerhaav. de Morbis Nervorum, p. 517.

morbos ſpaſmodicos dictos, hinc etiam aliquando oriri? Sententiam de tali origine morborum, quam hic ſolum enunciavi, quibuſdam argumentis poſtea ſtabilire conabor.

Natura, tam arctis vinculis, Imaginationem et pathemata mentis conjunxiſſe videtur, ut haec plurimum ab illa pendent.—Nec haec ſententia nova, quanquam minimum notata, nec pro dignitate et utilitate exquiſita. Quidam philoſophi, inter quos Baconem annumerare lubet, ejuſdem meminerunt. Ita ab auctore illo perilluſtri, quanquam non in omnibus forſan accurato, in opere egregio, "*de augmentis et dignitate ſcientiarum*," dicitur: "Senſus idola omnigena "phantaſiae tradit, de quibus poſtea ratio "judicat; et ratio viciſſim idola electa, et "probata phantaſiae tranſmittit, priuſquam "ſit executio decreti. Siquidem motum vo"luntarium perpetuo praecedit, eumque "incitat phantaſia. Adeo ut phantaſia ſit "utrique, tam rationi quam voluntati in"ſtrumentum commune. Neque vero me-

"rus et nudus internuncius eſt phantaſia, "ſed auctoritatem haud exiguam vel ac- "cipit vel uſurpat."

Sed praeter auctoritatem, ſunt et aliae rationes, quo credamus arctiſſimum inter Imaginationem et pathemata intereſſe nexum. Ubicunque pathemata ſaepe et vehementer agunt, ibi quoque Imaginationem actuoſam et validam obſervemus. Junioribus haec facultas agilis, vivida, vaga, inconſtans; ita pathemata ſaepe et acriter ſaeviunt; perbreve tamen durant, facile mutabilia. Hoc, inter homines rudes, incultos, barbaros, inſignius adhuc, quam inter populos excultos magiſque politos, conſpicere licet. Illis Imaginatio velox, vivida, ardens; pariter pathemata facile excitanda, cito pacantur. Probe equidem ſcio viros quoſdam, qui, cum per longinqua maria, itinera fecerint, vel terras procul a noſtris ſemotas luſtraverint, nobis hiſtorias retulerunt hominum barbarorum, ad pathemata praeſertim vehementiora proclivium, qui nec poſtea leniundi, nec placandi. Fas ſit tamen dicere, plurimos eorum, qui talia aut vide-

runt

runt aut vidiſſe finxerunt, in aliis plerumque rebus, indicia animi ad res augendas et exornandas nimium proni, haud dubia oſtendiſſe. Ingenue nos nonnunquam certiores fecerunt, miſeros illos homines magnas injurias paſſos: alias perſpicuum eſt omnino eos, a minoribus injuriis ſaepius repetitis, majores deinceps metuiſſe. Porro liquet res minimi per ſe quidem momenti, pro lubitu facultatis hujuſce effictricis, novas induere formas, alioſve accipere colores poſſe. Nonne infantes puerique cauſis ut nobis videtur vanis, levibus, frivolis inducti, odium, vel ut dici ſolet *antipathiam*, quoſdam adverſus homines ſuſcipiunt, quae ad finem vitae uſque perduret, nec ratione propria contra nitente, nec ullo aliorum conſilio evellenda, nec minuenda? Maxime tamen iniquum foret dicere, pueros infanteſve ad pathemata vehementiora pronos, vix poſtea placanda. Si longius eodem progredientes tramite adoleſcentiam, aetatem virilem, et ſenilem, miramque ſemper phantaſiae et pathematum convenientiam, ſingulis aetatibus pro-

propriam, ſpectemus; plures exinde derivatae rationes noſtram ſententiam magis magiſque firmarent.

Proxime notare liceat, quodcunque Imaginationem magis agilem vividamque reddere, id etiam pathemata et frequentius et vi majore agere incitare. Vires vini, ad Imaginationem excitandam et augendam, optime notae, a poetis ſaepe dulciſſimis celebratae ſunt carminibus.

Quo me (ſic Horatius cecinit) Bacche, rapis tui
Plenum? quae nemora, aut quos agor in ſpecus,
Velox mente nova?
Nil parvum aut humili modo,
Nil mortale loquar, dulce periculum eſt,
O Lenae, ſequi Deum
Cingentem viridi tempora pampino.
Ille liquor (ait Tibullus) docuit voces inflectere cantu.

De viribus vini, ad pathemata excitanda, longius nunc diſſerere prorſus ineptum; nam omnes, hoc ſatis ſuperque ſtabilitum, jam uno ore confitentur et dolent. Rei tantum meminiſſe liceat, quae, ad illam de qua hic agitur, pertinere videtur. Plurimi homines

homines cum unum alterumve vini poculum biberint, vel ſatis quo grate excitentur et caleant, ſenſum malorum et incommodorum, quibus alii afficiantur, acriorem quam antea oſtendunt; vel res, quae aliis proſperae et felices evenerint, majore cum voluptate cernunt. Senſus hic acrior, *ſenſibilitas* dicta, ab Imaginatione maxime pendere videtur. Vir celeberrimus Laurentius Sterne, nexum qui Imaginationem inter et ſenſibilitatem intercedit, in meditationibus ſuis de Galliae carceribus, eleganter et optime illuſtravit *.

Conſtat quoque, homines mero calentes, muſices et eloquentiae vires plus ſenſiſſe, quam ſi prius liquorem gratum non guſtaſſent.

Muſice mentem in humanam multum pollet; Imaginationem ciet et auget; pathemata excitat, intenditque. Summus rerum parens quidem quibuſdam mentem ita finxiſſe, vel organa auditui inſervientia, ita fabricaſſe videtur, ut voluptatem vel dolorem quam caeteri homines majorem a muſice accipiant.

* Sterne's Sentimental Journey.

accipiant. Hac tamen omnes magis minusve commoveantur.

Musice, inter omnes fere barbaras nationes, ad morbos sanandos valuit; nusquam autem magis quam inter Graecos. Hoc fere solo remedio nixus Æsculapius plurimos morbos sanavit, plurimos lenivit, illamque tantam sibi famam comparavit, quae ad haec usque nostra sera tempora pervenit, ad secula remotiora adhuc permansura. Vir quidem clarus D. le Clerc affirmare non dubitavit, historias, quas Galenus de miro hujus in morbis sic sanandis successu memoriae prodidit, ineptas et omnino falsas; sed mihi potius verisimile videtur, illas rebus revera factis niti; at, labentibus seculis, plurimum amplificatas et exornatas fuisse.

Vires illius in Imaginationem tam bene notae, ut vafri credulitatem et ignorantiam populi ad suum quaestum convertere callidi, saepius iis fuerunt usi. Sic Musice semper a viro, paucis abhinc annis, celeberrimo Mesmer, et a discipulo suo Deslon, usurpata fuit, quo ea vim, ut dixerunt, "*Magne-*

tismi

tiſmi Animalis, magis magiſque intenderet." Philoſophi et medici, quibus a Rege Galliae mandatum fuit, ut vires *Magnetiſmo Animali* a fautoribus tributas, veras an falſas, obſervationibus et experimentis rite factis, indagarent, nos certiores faciunt: "Illos inſtrumentum muſices, Anglice "*Piano Forte* dictum, in quodam conclavis "angulo, in quo *proceſſus*, ut vocatur, *Ma-"gnetiſmi* fiat, collocare, varieque, nunc ra-"pide nunc lentius, modulari; vociſque hu-"manae harmoniam quoque ſuaves organi "modulos saepius comitari, vimque auge-"re." D. Deſlon iiſdem viris quoque dixit, "ſonum (quod theoriae a preceptore tra-"ditae omnino convenit) *Magnetiſmum* "etiam deducere (conduct); et ſolum opus "eſſe, quo fluidum huic organo impertia-"tur, ut prope id virgulam ferream pona-"mus; eum etiam qui organum module-"tur, aliquid ejuſdem fluidi ſuppeditare; "hocque fluidum per ſonos iterum omnibus, "qui *Magnetiſmi* participes fieri velint, red-"di."

Nec

Nec minores tamen vires muſices ad pathemata cienda. Obſervemus enim ſemper ſonos ibi pathemata facillime excitare et maxime intendere, ubicunque Imaginatio agiliſſima et fortiſſima. Inter populos rudes et incultos, muſice maximos, plane miros effectus nonnunquam praeſtat. Si quando praelium ineundum, animi feroces, per ſonos organorum bellicorum aſperos, ad iras regi neſcias, et ad quendam quaſi furorem accendi ſolent; certamine redeuntibus ſoni pacis, dulces gratique, iras paulatim molliunt minuunt, tandemque omnino ſopiunt. "Vix dici poteſt (ait Cicero, in libro de legibus ſecundo,) quanta ſit vis muſices in utramque partem; nam, et incitat languentes, et languefacit incitatos, et tum remittit animos, tum contrahit."

Orpheum, Linum, Amphiona, alioſque qui, primis Graeciae temporibus, florebant, —eos tam claros, celebreſque evaſiſſe, viribus muſices ad pathemata excitanda et regenda magis tribuendum puto, quam quod adhuc multum

multum in ejus artis peritia, provectum fuerat *.

Nec minus quam musice eloquentia semper exculta effectus quam maxime mirabiles saepissime praestitit.—Unde igitur hi tanti illius effectus nati? Nonne Imaginationem primo eloquentia excitat, auget, deinde, ea adjuvante, vel per eam (si ita loqui liceat) pathemata movet et accendit? Hic iterum summum Baconem, qui eidem favet sententiae, citare lubet. "Estque, si "quis altius rem penetret, officium et mu-"nus rhetoricae, non aliud quam ut ratio-"nis dictamina phantasiae applicet et com-"mendet, ad excitandum appetitum et vo-

D "lun-

* Summus Baco Verulamius, de sapientia veterum differens, talem qualem poetae Orpheum memorant, nunquam re vera exstitisse asserit. Ei magis verisimile videtur, vetustissimos Scriptores per Orpheum, philosophiam; perque historiam de illo traditam, philosophiae progressus vimque qua illa pollet ad hominum mentes, grate alliciendas, demulcendas, expoliendas, adumbrare voluisse. Sed non sine maxima illustris viri verecundia, a tali sua sententia discreparem. Multo et simplicius et probabilius explicandum puto, si Orpheum revera extitisse,

" luntatem *." Alioque dicit loco. " Finis " denique rhetoricae eſt, phantaſiam opplere " obſervationibus et ſimulacris, quae rationi " ſuppetias ferant, non autem eam oppri- " mant." Iterumque, Lib. 5. C. 1. " Haud " humile quidem regnum phantaſiae in " perſuaſionibus, a vi eloquentiae inſinua- " tis. Nam ubi per orationis artificia, ho- " minum animi demulcentur, inflamman- " tur, et in quamcunque partem pertra- " huntur; totum illud fit per exſuſcitatio- " nem phantaſiae, quae, impotens jam facta, " non ſolum rationi inſultat, vero eidem " vim quodam modo facit, partim occaecan- " do, partim exſtimulando."

Eloquentia quoque, muſices inſtar, facillime pathemata movet et intendit, ubicunque

tiſſe, concipiamus; qui plurima humanae mentis notitia, et praeſtanti muſices qualis tunc valebat peritia, ſuorum popularium amorem et venerationem conſequi et ſervare noverat.

* Bacon de Dignitate et Augment. Scientiar. Lib. 6. cap. 3.

que Imaginatio maxime agilis, vivida, minimumque aliarum imperio facultatum ſubjecta. Quapropter eloquentia ſemper plurimi habita, plurimumque a regibus, principibuſque populorum rudium et agreſtium fota, quippe inde praecipue omnis potentia, et auctoritas inter ſuos penderet. Singuli illorum, quos Homerus, Graeciae decus, cecinit, inclytorum ducum et heroum, non magis militaribus, quibus caeteris praeſtarent, virtutibus, quam vi eloquentiae inſignes. Trojanus Paris, ſine moleſtia, omnibus vacuuſque curis, pulcherrimam venuſtiſſimamque Helenam, patria et Menelao raptam, ſemper poſſediſſet; vetuſque Ilium, ſolo tempore diruendum, maneret adhuc, ſi Ulyſſis eloquentia, deſiderium minime honeſtum, quo Graeci flagrabant, patriam et amicos reviſendi, ſuperare non valuiſſet.

Rationes quoque quae ſequuntur forſan veroſimilius reddant, eloquium praecipue per Imaginationem effectus praeſtare. Scriptores de arte rhetorica differentes, quales Cicero et Quinctilianus, ſaepius ejus meminerunt,

nerunt, quod fere nemo ignoret, eloquentiam viri, cujus ſuper vultum pathemata fortiter depicta fuerint, ad eadem aliorum excitanda pathemata, vim multo majorem habere, eloquentiâ alterius, caeteris paribus, cujus vultus ſeipſum minime affectum indicat. Cur haec ita ſint, per quaedam experimenta, philoſophis quibus mandatum fuit *Magnetiſmum Animalem* indagare, facta, bene explicari videtur. Deprehenderunt illi, oculos eorum qui magnetiſmi participes fieri vellent multum illius vires adjuvare: vel, (quod idem omnino eſt,) oculos eorum ad Imaginationem augendam multum valere *. Nec dubitare licet, diverſas, quas ſubeant organa voci inſervientia, mutationes, nonnihil, nec parum quidem, ad varios, qui mentem agitent, affectus exprimendos valere : ſed imperium vocis oratoris quam oculorum ſpectantium, multo minus patet.

Omnes animi perturbationes, omniaque pathemata

* Report of the Commiſſioners charged with the examination of the Animal Magnetiſm.

pathemata ita rapide inter homines in theatro, aliave hominum frequentia, communicari, tali oculorum potentiae ad Imaginationem accendendam, maxime tribuendum puto. Saepe quoque notatum, quantum militum vel clara virtus, vel fuga turpis, a ducis vultu alacri vel moesto pendeat. Sic morbi quidam propagati. " Ardor pugnae, (ait " Gregorius) et certae quasi fiducia victori-" ae, ab alacri ducis cui confidunt milites " vultu, totam aciem dicto citius pervadit, " et multa millia pectorum pariter accen-" dit: iidem vero milites, victoria jam parta, " unius vel ignoti hominis terrore perculsi, " turpiter terga dederunt, nullo modo coer-" cendi. Quin et fanaticorum quorundam " furor, simili modo aliquando diffusus est; " hominesque se sanos credentes, qui talem " insaniam tempsissent et irrisissent, solo " visu et auditu furentium, ipsi dementiae " facti sunt participes. Par ratio est affec-" tionum quarundam nervosi generis; osci-" tationis, hysteriae, epilepsiae, quae solo

" visu

" visu saepe mirum in modum propagan-
" tur *."

In rationibus talium reddendis, philosophi, fere uno ore, ad Imitationem solam rem retulerunt. Mihi quidem (fateri fas sit) videtur, imperium Imitationis minus late quam vulgo creditum, patere; eamque (ut Baco ait) " res prensare, quas capere nequit." Imaginationem interea, magis quam par fuit, neglectam, intra limites nimis arctos, philosophi compescuerunt. Verbis virorum, quibus mandata *Magnetismi Animalis* indagatio, uti liceat. " Imitatio tales impressiones " diffundere conferat; Imaginatio vero est " vis actuosa et terribilis de qua maxime " illae pendent. Effectus omnibus noti, il- " lorum causa latet."—Tales sunt rationes quibus haec sententia nititur. Philosophi modo memorati, notarunt semper, etiam in " *processu publico*" feminas quam viros plures crisibus *Magnetismi* " dictis; feminas- " que, quanto major sensibilitas et irritabili- " tas, facilius et magis affici." Viri hi celebres

* Gregor. Conspect. Med. Theoret.

lebres diverſos hos effectus Imaginationi haud Imitationi tribuunt. Pariter quoque fit in theatro. Feminae irritabiles, molles, tenellae, quibus fere Imaginatio agilis, vivida, primo et maxime moventur. Illarum perturbationes in vultu pictae ab aliis videntur. Imaginatio his pariter excitatur et ardet, brevique idem omnino perturbationum ordo retexitur. Feminae, vegetae, robuſtae, nervos firmae, quaeque fere Imaginatione minus vivida gaudent, raro; virique plerumque rarius adhuc, afficiuntur. Sic fanaticorum furor citius inter faeminas quam viros propagatur; virique citius ſeriuſve pro variis Imaginationis dotibus rapiuntur; ſic de morbis nervoſi generis dictis etiam obſervatum.

Ab omnibus hiſce prolatis auctoritatibus, rebus factis, et ratiociniis, liceatne concludere pathemata plurimum ab Imaginatione pendere; talemque Imaginationem inter et pathemata intercedere nexum, et illa tam ſaepe ſimul et inter ſe invicem agere, ut effectus tam delicate quaſi mixti, quos producant, ſemper rite inter ſe diſtingui nequeant.

His

His de Imaginatione in genere dictis, de ejus viribus ad valetudinem afficiendam proxime differam. Quae hac de re dicenda sunt, partes in duas secerni possunt. Primo, de quibusdam morbis, qui sola vi Imaginationis induci, vel sanari, videantur; quique mente a statu sano mutata, indicantur, differam. Secundo, de paucis agam, qui aliis inducti causis, vi Imaginationis graventur tantum, vel leniantur. Iisdem morborum nominibus utar, quae nobis a Culleno celeberrimo, in Nosologia, dantur.

PARS

PARS I.

I. *De quibuſdam morbis qui ſola vi Imaginationis induci vel ſanari videantur.*

CAP. I.

PALPITATIO, SYNCOPE.

PALPITATIO et Syncope, a mentis pathematibus, vel nimiis, vel nimis diuturnis, procul dubio oriuntur ; nec deſunt rationes, cur eos morbos credamus, a vi Imaginationis ſola, ſaepius originem duxiſſe : hoc enim ſaepius obſervarunt ii, quibus mandata *Magnetiſmi Animalis* indagatio. Medicus quoque ingenioſus, D. Sigault, eorundem meminit effectuum, literis ad eoſdem datis, quae, experimentorum, ad vim *Magnetiſmi* ſtatuendam, factorum, hiſtoriam tradunt.

E "Cum

" Cum quosdam (ait) qui, domum, in loco
" *le Marais* dicto, habitant, certiores fe-
" cissem, me D. Mesmer discipulum fuisse,
" varios in feminam ejus domus effectus
" produxi; me etiam viso et audito, valde
" affecta et commota, quod primo me celare
" voluit. Sed cum pectus manu tetigis-
" sem, cor palpitans sensi. Tanta quoque
" ejus oppressio, ut thoracem plurimum
" contractam indicaverit. Vultus variis
" agitatus convulsionibus, oculi vagi fie-
" bant, Syncope tandem correpta corruit,
" prandium ore rejecit, diarrhoea affecta,
" et ad debilitatem plane incredibilem, re-
" dacta fuit *." Plures tales historias me-
morat, sed illas huic tam omnino similes,
quod hic referrem, minime necessarium duco.

Palpitatio et Syncope, praeterea, saepissime illos vexant, qui Hysteria, Hypochondriasi, et Melancholia laborant; morbi, qui haud raro saltem, ab Imaginatione malesana, oriri videntur.

CAP.

* Report of the Commissioners charged with the examination of the Animal Magnetism.

CAP. II.

HYPOCHONDRIASIS.

HUNCCE morbum ſaepe ab Imaginatione maleſana oriri, ſemperque forſan ab ea plurimum pendere, vix dubitandum; etiamſi quidam homines, prae caeteris, propter quandam corporis conſtitutionem, ad hunc magis proclives, videntur.

Hiſce rationibus hanc ſententiam firmare conabor: primo, ipſius natura morbi; ſecundo, iis, qui ſaepiſſime hoc morbo laborant; tertio, frequentiſſimo et feliciſſimo morbum ſanandi modo, conſideratis.

Primo. Natura morbi. Miſer ille vir, qui hoc morbo laborat, aſſiduis cujuſdam mali imminentis terroribus exagitatur; ſuae tamen valetudini praecipue attentus, omnem ſenſum ingratum, utcunque levem et quaſi nullum, ut maximi periculi, vel etiam mortis ipſius inſtantis, praenuncium metuit.

Ob

Ob metum valetudinis amittendae, valetudo ſecunda revera perditur: hincque illa quae morbum comitantur ſymptomata evolvuntur. "Hallucinationes mentis, (ait Sauva-"gesius,) in eis frequentiſſime verſantur "circa ſanitatem propriam, quam multo "magis perditam, quam reipſa eſt, repu-"tant; quamque, continua ad corporis "ſtatum attentione, moeſta ſcilicet et forti-"ori, reapſe labefactant: maxime ex eo, "quod medicis ſuis diffidentes, remedia "proprio Marte, vel inconcinne adhibe-"ant, ſaepius ſuo morbo contraria; ut re-"petita cathartica, frequentes phlebotomias, "clyſmata quotidiana; dum gulae imperare "neſciunt, aut digeſtionem moerore pra-"vaque alimentorum qualitate vitiant. "Hinc flatus, ructus, borborygmi, hypo-"chondriorum dolores, nauſeae, vomitio-"nes acidae, acres, biliosae, alvi conſtipa-"tio, ſomni turbulenti; hinc macies, cutis "ſqualor, color fuſcus *, &c."

Symptomata

* Sauvages. Noſologia Methodica de Hypochondriaſi.

Symptomata haecce, se non subito ostendunt, sed, serie continua longiore vel breviore, evolvuntur et crescunt. Origines semper minimae. Nonne hoc naturae Imaginationis consentaneum? Solum magni Imaginationis eduntur effectus, postquam diu fortiterque egerit. Tunc enim solum rerum Imagines, quas sibi finxerit, esse verae videntur. Pariter aliquid, nec breve quidem, tempus exigitur, priusquam morbus omnino perfectus fiat; prius nimirum quam mens periculum quod metuat, verum prorsus crediderit. Primo metus levis vel quasi suspicio, nec nisi dum tristes solive simus, valet; quemque metum etiam minimi rationis conatus superare possint. Negotia, et occupationes quaecunque, quondam delectare solitae, placeant adhuc. Brevi tamen metus revertitur. Saepius agendo, Imaginatio agilior, fortiorque fit, magis semper ad agendum valet; res, de qua cogitatur, vividior evadit, augetur, exornatur, novasque semper induit formas, ad mentem fallendam magis accommodatas.

Ratio,

Ratio, quae primo laude, victoriae, nobilis, quanquam facillime partae, semper rediisset, nunc et saepius in praelium vocatur, et majoribus undique premitur difficultatibus. Tandem imperium, quod tamdiu habuerat, omnino perdit, dum Imaginatio, vel minimum regi impatiens, in ditionem omnia redigere properat.

Dum talia fiant, pathemata deprimentia quoque in motum rapiuntur; haec novas vicissim vires Imaginationi impertiunt; dum contra, illius conamina aucta, haec magis magisque accendere conferunt. Viribus et illius et horum semper augentibus, et datis invicem et receptis, utraque tandem ad summum augescunt. Morbus formam absolutam induit. Fugiunt nunc omnia illa suavia, jucunda, quae antea feliciore in tempore vitae, tantum delectare solebant. Dominantur suspicio, metus, moeror, et paulatim Melancholiae, omnibusque, quae illam comitentur, malis viam sternunt.

Secundo. Ii, qui huic morbo praecipue obnoxii sunt. Ab omnibus fere notatum

auctoribus,

auctoribus, Hypochondriasin saepissime viros Imaginatione valida insignes, quique eadem saepius meditari cupiunt, afficere; dum alii Imaginatione debili, magis vaga, fere semper hujus morbi immunes vivunt. "Plures enim (inquit Sauvagesius) sunt "ingeniosi, quam stolidi, et rustici, Hypo-"chondriaci *." Etiam temperamento illo, Melancholico vel Hypochondriaco dicto, saepius illi insigniti, qui monumenta virium Imaginationis exegerunt nobilissima, sive dulci gratoque mundum delectare carmine, sive sublimibus quas philosophia eruat veritatibus, docere et instituere maluerint. Expectandum igitur huncce morbum saepissime inter illos saeviturum. Nonne ita revera est? Nonne fere in triviis decantatur, viros summo ingenio praeditos, qui artes elegantes, literas humaniores, philosophiamque maximo et ardore, et successu excoluerint, morbo hocce frequentissime correptos? "Quam saepe (inquit Robinson) "videamus

* Sauvagesii, Nosologia Methodica; Hypochondriasis.

" videamus ſummos philoſophos hoc mor-
" bo laborantes, et fruſtra, quo ſe illius ty-
" rannide eripiant, nitentes * ?" Eandem rem, de hoc morbo diſſerens, praecipue notat Aretaeus: " Familiare hoc vitium (ait
" auctor ille eximius,) illis, qui, ut erudi-
" antur, laborant, et ejus cauſa multa per-
" ferunt; quibus ineſt divinae ſcientiae cu-
" piditas; qui vigiliis macerantur; qui doc-
" tos ſermones, et res graves meditantur;
" qui victum pleniorem et varium con-
" temnunt; qui in ſomnis vigilant; divitiae
" autem illis, adeptio et uſus divinae ſapi-
" entiae. Non eos abſtrahit voluptas, non
" vagatio et peregrinatio ; a quo enim diſ-
" ciplinae amor non avocet? His igitur
" corporis macies adeſt, decolor facies, ob
" contemplationem ſtupidi habentur, ani-
" mo autem ſeveri, non ridentes †." Hic quidem objiciatur forſan, Aretaeum non de Hypochondriaſi loqui, ſed ſub " ſtomachi
" morbo" tantum " dyſpepſiam" nunc dictam

* Robinſon on Spleen, Vapours, &c.

† Aretaeus de Stomachi Morbo.

tam intellexiſſe. Sed mihi omnino manifeſtum, ab hoc, aliiſque ejuſdem capitis locis, videtur, eum de ambobus hiſce morbis differere, vel morbos illos alium alii permiſcere. Nec puto conamina ingenioſi viri Culleni, quo morbos illos diſtinguat, et limites cuique proprios finiat, omnino proſpere ceſſiſſe.

Auctores, plurima Hypochondriaſis inter viros doctos, exempla retulerunt, quorum tamen unum, a viro illuſtri Mead, memoratum, hic tantum proferam: "Celeberrimus quidam (inquit) Collegii ſocius, cum nimium ſtudiis incubuiſſet, Hypochondriaſi correptus, ita cruciatum ſe putavit, ut lecto affixus ſemper jaceret. Morbus paulatim ingraveſcit; tandemque, amicos qui circumſtarent certiores facit, ſe jam moriturum. Nec multo poſt, campanam funeris praenunciam, in templo vicino, pulſari juſſit. Quod cum fiebat, ei, (qui adoleſcentulus adhuc egregie campanas pulſare didiciſſet,) tam omnino imperite videbatur factum, ut, graviter

"ira permotus, e lecto ſaltavit, ad tem-
"plum feſtinavit, verbis edituum (*the*
"*beadle*) aſperis reprehendit, dixitque, ſe
"illi campanas rite pulſandi modum oſten-
"ſurum: Fune igitur confeſtim prehenſo,
"tanta cum vehementia opus peregit, ut
"brevi omnis ſudore diffluebat. Nunc ad
"lectum rediit, quo contentus moreretur;
"ſpes tamen eum fefellit, exercitatio enim
"ei, vitam et vigorem reddidit *."

Notandum quoque, quod ad eandem magis firmandam ſententiam conferat, hominem, rebus difficilioribus, et gravioris momenti occupatum, raro huic morbo obnoxium; ſi tamen magna illius conamina proſpere ceſſerint, divitiaeque partae eum ad otia vitae duxerint, tum ſaepius eum Hypochondriaſin corripere.—Omnium laborum, et rerum, quibus ſe aſſueverat, immunis, ille undique convertitur, et quid agat, neſcit. Forſan, felicibus adoleſcentiae et virilis aetatis annis, inter bella et caſtra peractis,

* Mead, Monita et Praecepta, de Hypochondriaſi.

tis, tranquilla pacis, et dulcia ruris gaudia temnit. Nec virentia luſtrare prata, nec acclivia montis ſcandere, nec inter denſas et umbroſas ſylvas ſe condere geſtit.—Rure feſtinat ad urbem. Sed omnes etiam, quas praebeat voluptates urbs, brevi delectare deſinunt. Ei ſola bella, et caſtra ſola placeant. Igitur ad illa aut redit iterum, aut domi permanens, anxius, inquietus, omnium quaſi pertaeſus vivit:—Nec difficile eſt videre talem mentis conditionem hujuſce morbi et originibus, et augmini plurimum fauturam.

Tertio. Optimus Hypochondriaſis ſanandae modus.

Medicinae famam, quam in Hypochondriaſi ſananda, comparaverit, minime eripere velim; quibuſdam enim ſymptomatibus lenitis, vel fugatis, plurimum certe profuit. Medicinae tamen minime fidendum; ſummiſque niti viribus debemus, quo omnes illae cogitationes, quae mentem deprimant, terreant, omnino relegentur; aliaeque ſpem et hilaritatem afferentes, earum vice ſupponantur. Sic ſolum morbus ſanandus,

ſic

ſic etiam optimi, qui de hoc morbo ſcripſerunt, auctores opinati ſunt: "Removendi "(inquit Celſus) terrores, et potius bona "ſpes afferenda; quaerenda delectatio ex "fabulis, ludiſque, quibuſque maxime ſanus "capi conſuevit; laudanda ſi quae ſint ipſius opera, et ante oculos ponenda; leviter objurganda vana triſtitia; ſubinde admonendus, in iis rebus quae ſolicitant, "cur non potius laetitiae quam ſolicitudinis cauſae ſint *." Sic quoque vir illuſtris loquitur Sauvageſius: "Hypochondriaci "admonendi ſunt virum fortem dedecere "hanc levium malorum intolerantiam, atque continuam de hiſce querelam. Si "enim ſatis perſuaſi forent, neminem ex "omni parte beatum eſſe, in hac vita, niſi "qui taedia et labores tum animi tum "corporis eodem animo patitur, ac natus "paterna manu caſtigatus, illi leves ſanitatis alterationes non tanti facerent. Expedit ut, aliis fortioribus ideis excitatis, "idea morbi ex eorum animo deleatur:

"Plures

* Celſus de Medecina, lib. 3.

" Plures visi sunt, qui, superveniente lite, " aut gravi negotio, sui morbi obliti sunt; " et, qui ejus oblivisci potest, salvus est. In " hunc finem, nihil convenientius est equi- " tatione per loca amoena, tempestate se- " rena, et quod eodem recidit, peregrina- " tione, navigatione, rusticatione; ast equi- " tatio praestat caeteris, omni enim instanti, " continuo novis, et variis objectis visus " auditusque percellitur; ita ut fere im- " possibile est animum ab attentione fu- " nesta non averti, et aliis cogitationibus " non assuescere, in quo magna pars cura- " tionis consistit *." Celsus et Sauvagesius ita accurate sensus aliorum de hac re scriptorum expresserunt, ut alia ex aliis scriptis minime referenda puto.

CAP.

* Sauvages. id. ib.

CAP. III.

MELANCHOLIA.

Nullus, ut mihi videtur, alius morbus quam Melancholia, rectius Hypochondriasin sequatur; quia illis plurimae res similes; saepe eodem homine, eodem tempore saeviunt; raro forsan omnino disjunctae observantur; et quia Hypochondriasis saepius in Melancholiam transire videtur. Igitur, de origine Melancholiae, ordinem eundem sequar, quem de Hypochondriasi agens sequutus. *Primo*, Quaedam de natura morbi dicam. *Secundo*, De iis qui saepissime Melancholia laborant. *Tertio*, De optima sanandi methodo.

Primo. Natura morbi. Melancholici fere dicuntur moestam, sed falsam, de re aliqua, sententiam ferre; dum de aliis, caeterorum hominum instar, judicant et agunt. "Melancholia (inquit Aretaeus) est autem ani-

"mi

" mi angor, in una φαντασια infixus et in-
" haerens, abſque febre:" Et in alio ejuſdem capitis loco dicit: " Melancholici in
" triſtitia et animi angore duntaxat verſan-
" tur. Nec vero, in una tantum inſaniae
" ſpecie, laborant; ſed aut venenum ne
" ſibi detur ſuſpicantur; aut, hominum
" conſuetudinem peroſi, in ſolitudines au-
" fugiunt; aut, ad ſuperſtitioſam religio-
" nem, convertuntur; aut lucem hanc vi-
" tamque odio proſequuntur *."

Natura hujus morbi, a duobus exemplis a Boerhaavio memoratis, optime illuſtratur. " Vidi (inquit vir illuſtris) clariſſimum vi-
" rum perſuaſum ſua crura duo ſtramina
" eſſe, ſapientem in aliis pleriſque rerum
" generibus. Nunquam paſſus eſt eripi
" ſibi errorem, ullo argumento; amici ju-
" bebant oculis uteretur in luce clariſſima;
" digitis, hortabantur, ut crura tangeret, et
" naturalem figuram, et ſubſtantiam con-
" ſervatam, perſuaderetur. Pertinax ille,
" parcenſque ſtraminibus, nolebat inniti
" fulcris

* Aretaeus de Melancholia.

" fulcris fragiliſſimis, ne, colliſis feſtucis, " collaberetur. Tandem amici, inſtantiſſi-" mis precibus ita fatigant hominem, ut " pedes muniret ocreis firmiſſimis, ne forte " frangerentur; tutuſque hoc praeſidio, in " carpento rus peteret, laxandi animi cauſa. " In ipſa via, duo larvati ſtudioſe diſpoſiti " erant, qui ab uno latere rhedae adſilirent, " ſtrictis gladiis et latronum habitu; alte-" rum vero vehiculi latus liberum relin-" querent. Noſter, oblitus ſtramineorum " crurum, praeceps ſe in fugam dedit va-" lido ſaltu, et in eo ipſo temporis momen-" to ſanatus eſt; atque, ab eo tempore, " millies deploravit imbecillitatem huma-" narum ſcientiarum, cum videnti ſibi et " tangenti, aeque certo conſtitiſſet crura " ſtraminea eſſe, ac nunc conſtaret eadem " vera crura eſſe." " Juvenis (ait idem) " juriſconſultus, eruditus et ſapiens, in hoc " uno peccabat, quod ſemper chartis im-" palleſceret. Amici, ut animum a ſeverio-" ribus ſtudiis averterent, ſuadent ut iter " amoenum, recreationis gratia, ſuſciperet;

annuit;

" annuit; dum iter faciunt per omnes rei-
" publicae noſtrae urbes, Muydam appel-
" lunt; petunt videre arcem, ubi dicitur
" eſſe ſedes, qua captus et detentus eſt Flo-
" rentius Hollandiae comes, quia Matil-
" dam violaverat et conſtupraverat. Se-
" des autem ſic dicitur facta eſſe, ut ille, qui
" ſe huic committit, illico ferramentis exi-
" lientibus conſtringatur et capiatur. Lu-
" dibundae puellae comiter invitant noſ-
" trum juriſconſultum ut in illa ſede pau-
" lo reſideat; ille, dolum minime ſubol-
" faciens, annuit, ſubitoque ejus manibus
" et pedibus injiciuntur catenae; ille capi-
" tur, palleſcit, ſilet, moeſtus incedit, puta-
" tur animo perturbatus; ſed ille ab eo
" momento ſemper ſolitudinem quaeſivit,
" et dixit ſe ubique quaeri ab judice, ut
" morte plecteretur. Haec facta impreſ-
" ſio nulla arte poſtea deleri potuit, et cre-
" ditur, mortem ipſi ſibi conſciviſſe, nemo
" enim unquam cognovit quo abierit *."

* Boerhaav. de Morbis Nervorum.

Inter veteres Melancholia a quadam Bilis mutatione, per quam color in nigrum verſus, oriri vulgo credebatur. Haecce ſententia, aliarum ad inſtar, quae in ſcriptis veterum traduntur, a medicis poſt literas renatas recepta, per plures annos vigebat: nunc autem ubique ſpernitur.

Medici recentiores, hujus morbi originem, ad quandam totius corporis, et praecipue cerebri conditionem; quam *rigidam* dicere ſolent, fere retulerunt. Hancce ſententiam, cerebri ſectionibus ſcalpello anatomico accurate factis, firmare conantur. Anatomici quidam, jure celebres, ſe talem quidem cerebri conditionem ſaepius obſervaſſe dicunt. Nonne tamen aeque conſtat, alios et peritos, et accuratos, eandem raro notaſſe; nec ullam revera a ſano ejuſdem organi ſtatu mutationem. Praeterea, ab illis corporeis morbi theoriis, ſymptomata omnia explicare, nequimus.

Imaginationi laeſae igitur ejus originem tribuendam puto.—Minime neceſſarium quaerere, et ſaepiſſime fieri nequit, ut ſtatuamus quo modo res, cui in Melancholia aeger

attendit,

attendit, primo tantam illius attentionem ſibi converterit. Sat erit, ſi re data, oſtendere poſſumus, noſtram ſententiam et Imaginationis naturae, et nexui, qui eam inter et pathemata intercedat, omnino conſentaneam. Sed mihi veri videtur ſimillimum, Melancholiam, eodem prorſus modo, ac Hypochondriaſin, oriri et progredi. Restantum in Melancholia, quibus attendatur, magis variae: Imaginatio et pathemata deprimentia plus augeri videntur. Haec mea ſententia multum virorum celebrium Haller et Broun auctoritate firmatur, qui fere eodem modo de Melancholiae origine ratiocinantur. "Nonne (Halleri verbis utor) videntur "(Melancholici ſcilicet) eandem ſibi repe- "tendo ideam, et unicam meditando, eam "paulatim reddere validiorem vividiorem- "que, donec ipſi preſenti objecto nihil ce- "dat robore, atque adeo aſſenſum extor- "queat *." "Curandum eſt, (inquit Broun) "ne animus in unam modo rem, rerumve ſeriem,

* Haller. Annotationes ad Boerhaav. Prelection. Academicas, Vol. IV.

" feriem, nimis intendatur, vel cujufvis " cupidinis pareat imperio. Cum eaedem " enim imagines femper animo recurrunt, " his Imaginatio quafi inficitur, et hinc de-" mentiae genus Melancholia dicta oritur, " quoniam omnes, qui fic mente capti funt, " idem femper meditantur: vel fi paulo " ab eo avocati fuerint, fenfim in con-" fuetas relabuntur cogitationes *."

Cum Imaginatio, pathematibus juvantibus, firmam rei quacum ocupata fit fidem ftabiliverit, et ita morbus prorfus perfectus fuerit, fugiunt omnis fpes hilaritafque; de omnibus timetur, angitur, defperatur; nihil juvet; nihil alliciat; pulchrae naturae facies denfis nubibus et atris undique co-operta jacet; ipfa etiam vita cum tanta cura et folicitudine haud ita pridem cuftodita, nunc omnibus orba gaudiis et voluptatibus, fit onus grave atque moleftum, tandem intolerabile evafurum. Ita eleganter eadem exprimitur res, a celeberrimo viro Gul. Laurentio Broun fupra dicto, " Qui ani-" mum

* Gul. Laurent. Broun, Oratio de Imaginatione in vitae Inftitutione regunda.

" mum triſtium contemplationi applicat, " qui tetrica Imaginandi vi, incertas lugu- " breſque imagines ſibi ante oculos frequen- " ter ponit, et nigris tanquam adumbrat " coloribus; is moeſta erit ſeveraque indole, " ad Melancholiam pronus, a riſu, joco, feſ- " tivitate alienus. Eheu quot, quantaeque " aerumnae, ex hac origine derivatae, men- " tem invadant, eo acerbiores et vehemen- " tiores quod fictae ſunt omnino et com- " mentitiae. Imaginatio enim experienti- " am ipſam ſuperat; quia, in unum quaſi " cumulum, omnia dira et calamitoſa, coa- " cervat. Hinc animi et corporis vires " extinguuntur, nervi languent, omnia " agendi incitamenta pereunt; mens infe- " lici Imaginationi mancipata opprimitur, " nec jugum excutere poteſt; totus rerum " contriſtatur aſpectus; atris naturae facies " coloribus veſtitur: jucundum nihil vel " exoptandum manet: ſol ipſe deficere vi- " detur; animus ſpiſſiſſima obductus cali- " gine, ſocietatem hominum fugit, appetit " ſolitudinem, lucem odit, mortem, tanquam

" unicum

" unicum malorum perfugium, cupit, desi-
" derat. Dies per moerorem peragitur:
" Irrequieta nox nullum, somno obliviofo,
" aegritudinum solatium subministrat."

Secundo. Qui saepissime huic morbo obnoxii. Non dubitare licet summum rerum parentem statuisse, ut res quae extra nos percipiantur, fortius mentem, quam quae mens sibi ipsi fingat, afficerent. Inter omnes constat tamen quosdam homines, mentem a rerum contemplatione externarum, adeo interdum seduxisse, et in suas cogitationes, attentionem ita infixisse, ut, Imaginatione eas augente et exornante, veri speciem tandem omnino simulaverint.—Sed haecce res plerumque observata fuit inter homines ingenio insignes, quibus Imaginatio maxime valida; interque illos Melancholia maxime valet. Παντες ʽοσοι περιττοι, (inquit vir summus Aristoteles, ipse, ut fertur, semel Melancholicus) γεγονασιν ανδρες η κατα φιλοσοφιαν, η πολιτικην, η ποιησιν, η τεχνας, φαινονται Μελανχολικοι οντες *. Haecce res quoque ab

* Aristotelis Problem. Section 30.

ab aliis veterum ſcriptorum memoratur, omneſque fere inter recentiores auctores, de hoc morbo accurate differentes, eandem notarunt. " Grata illa (ait Boerhaavius) et " fertilis Imaginatio, facit ſummos artifices " inſanire, niſi potando et ſaltando, animum " iterum divertant ; ſed, ſi ſuo opere, nimi- " um inſiſtant, in mala Hypochondriaca et " Melancholica ruunt *." " Viri ingeni- " oſi, (ait Suavageſius) poetae celebres, ar- " tifices praeclari inter pictores, muſicos, " &c. huic morbo praecipue fuere ob- " noxii †." Facile foret, ſed minime neceſſarium, plura de hac re, ab aliis citare auctoribus.

De Melancholia quoque ut antea de Hypochondriaſi, dicamus, eam rarius inter homines actuoſos, negotiis magnis, et arduis rebus occupatos ſaevire, quam inter eoſdem, ſiquando bonum otium ignavia et occupationibus inanibus et ineptis conterant.

Tertio.

* Boerhaav. de Morbis Nervorum.

† Suavages. id. ib.

Tertio. Optima ſanandi methodus. Nec magis in Melancholia, quam in Hypochondriaſi, medicinae, regimini vario confugiendum vel fidendum. Imaginatio avertenda, quantum fieri poteſt, a rebus conſuetis et dilectis; aliaeque, ab his, quam maxime diverſae, de quibus ſe exerceat animus, ſubminiſtrandae *.

Itinera

* Morbo incipiente, vel paulo tantum profecto, conamina ipſius aegri forſan plurimum proſint. Nuncque poetae noſtri Armſtrong conſilium et elegans et rectum:

" Go, ſoft enthuſiaſt, quit the cypreſs groves,
" Nor, to the rivulets lonely moanings, tune
" Your ſad complaint; Go ſeek the chearful haunts
" Of Men, and mingle with the buſtling crowd.
" Lay ſchemes for wealth, or power, or fame, the wiſh
" Of nobler ſouls, and puſh them night and day:
" Or join the Caravan in queſt of ſcenes,
" New to your eyes, and ſhifting every hour,
" Beyond the Alps, beyond the Apennines;
" Or, more adventrous, ruſh into the field,
" Where war grows hot, and raging thro' the ſky,
" The lofty trumpet ſwells the maddening ſoul;
" And, in the hardy camp, and toilſome march,
" Forget all ſofter and leſs manly cares."

Itinera praecipue ab omnibus laudantur medicis; verique videtur ſimillimum, illa plerumque plurimum profutura, nam undique res variae et gratae mentem ſollicitant, alliciunt, paulatimque, et quaſi inſcia ipſa, ad ſe prorſus convertunt. "Prae reliquis omnibus (verba ſunt viri illuſtris Swietenii) proſunt itinera, tunc enim nova occurrunt, et inſolita objecta, quae ſatis efficaciter mentem afficiunt et cogitationem mutant *." Auctor idem quoque memorat, ſe plures noviſſe doctos homines, quibus fruſtra perſuaſum fuit, ut quendam puteum metallis medicatum, ad ſalutem recuperandam adirent, qui tamen poſtea, iter ad quaſdam bibliothecas, vel ad viros, ingenio claros et doctrina, viſendos, ut ſuſciperent facile inducti, et quibus ex itinere ſecunda valetudo iterum reſtituta. "Si conſtat (dicit cel. Cullenus) eſſe vel homines vel res, quae, virum Melancholicum a cogitatis quibus ſe aſſueverit, avocare, et ad alia convertere poſſint, illa

* Swietenii Commentarii in Aphoriſmos Boerhaavii.

" quam saepissime ei adesse debent. Itaque " iter, quia omnem cogitationis seriem in- " terpellat, et quia res novae grataeque " oculis usque et usque obveniunt, plerum- " que utile *."

Musice, ut hujusce medela morbi, inter quasdam antiquas nationes multum valuit. " Musice (dicit Plato) in morbis illis, qui a " mente laesa pendent, sanandis minime ne- " gligenda : sicut enim medicina corpus a " crassis illis qui organa minus nobilia one- " rent, impediant, humoribus purgat ; ita, " musice mente expellit, atra illa et depri- " mentia cogitata, quae cum diutius per- " manserint, organa nobilissima debilitent, " turbent, opprimant." Hunc in usum, Pythagoras summus philosophus, lato mu- sices in mentem imperio notato, plures har- monias condidisse fertur.

Edocemur quoque a literis sacris, gentes plures orientem versus musice ad Melan- choliam leniendam et sanandam saepe usas fuisse. " Et malus spiritus a domino mis- " sus Saulum vexabat. Servique Sauli illi " dixerunt,

* Cullen's Practice of Physic.

" dixerunt, ecce nunc malus ſpiritus a do-
" mino te divexat. Herus noſter jubeat
" ſervos tuos, qui coram te ſtant, ut quen-
" dam lyrae pulſandae peritum exquirant;
" et fiet, cum malus ſpiritus ſit in te, quod
" manu pulſabit lyram, iterumque ſanus
" evades. Itaque fiebat, cum malus ſpiri-
" tus Saulum divexaret, Davidem lyram ce-
" piſſe, manuque pulſaſſe; ſic Saulus recrea-
" tus ſanuſque evaſit, et malus ſpiritus ab
" eo diſceſſit."

Denique par omnino notare, ratiocinia, diſputationes, contradictiones non ſolum prodeſſe nunquam, ſed revera morbum ſemper plurimum gravare. Omnia paulatim leniter, et quaſi aegro inſcio facienda. "Paulatim, et non evidenter, (inquit Celſus) ab his quae ſtulte dicuntur, ad meliora mens adducenda." Eandem etiam protulit Caelius Aurelianus ſententiam. "Mandandum miniſtris (ait) ut inductivè nunc indulgeant conſentientes, nunc inſinuando corrigant vana, recta demonſtrantes."

C A P. IV.

NOSTALGIA—PATRIAE MORBUS.

HELVETICI, prae omnibus, huic morbo obnoxii. "Noſtalgia (inquit Hallerus ipſe "Helvetia oriundus) genus eſt moeroris "ſubditis reipublicae meae familiaris *." Non tamen hicce morbus Helveticis proprius, ſed inter omnes magis minuſve fere valet populos; praeſertim ſi reſpublica bene leniterque geratur, et incolae felices liberique vitam degant. Imperium ejus quidem ad alia animalia patere nonnunquam videtur.

Noſtalgiam jam poſt Melancholiam locavi, quia ſententia, morbos illos ejuſdem generis tantum ſpecies eſſe, a docto tradita Vogelio, mihi veri videtur ſimillima; et quia plura illis conſimilia.

Noſtalgiae originem, in longum indagare, minime neceſſarium; nam nullus forſan eſt

* Haller. Element. Phyſiolog. Vol. V. p. 583.

eſt morbus, qui, virium quibus Imaginatio pollet, melius, minuſve ambiguum, vel de quo minus diſputatur, exemplum ſubminiſtret. Hic igitur ſat erit brevem morbi, ſanandique modi hiſtoriam dare, magna ex parte, Sauvageſio excerptam. Utcunque tamen brevis haecce hiſtoria, etiam et imperfecta, nonnihil forſan lucis Melancholiae et Maniae affundat.

Propter vehemens patriam et amicos reviſendi deſiderium, miſer homo moeret, ſilet, ſolitudinem cupit, per noctem vigilat, nec cibum appetit: vires paulatim deficiunt: veſpere febris hectica invadit. Talis eſt Noſtalgia ſimplex: aliquando tamen, ſecundum Hallerum, "in rigorem et Mani-"am; aliaſque, in febres lentas abit." "Synochum Tertianum, (inquit Sauvage-"ſius) Tritaeophyam, vel aliam febrem "comitem Noſtalgia habet. Haec Noſtal-"gio complicata dicitur *."

Morbus plerumque inter juniores ſaevit, ſaltem locus qui ſequitur, a Suavageſio citatus,

* Sauvages. id. de Noſtalgia.

tus, hanc ſententiam firmare videtur. " U-
" traque (ſcilicet Noſtalgia ſimplex et com-
" plicata) aggreditur juvenes mollius in
" parentum ſinu educatos, qui, prima vita
" peregrinantes, vel adverſam fortunam, vel
" morbum incurrunt, et amicis orbati, pa-
" triae ſuae delicias mente revolvunt, ea-
" rumque deſiderio tanto majore tenentur
" quo pejus ſe habeant ; ut, ſi a ſociis pro
" rudibus habiti, illis ludibrio ſint ; ſi ob
" linguae morumque differentiam, ſoli vive-
" re cogantur ; hinc, alto moerore detenti,
" omnem ſocietatem fugiunt ; nemini ſuae
" aegritudinis cauſam declarant *."

Quod quoque de hoc morbo mirum, nulli vitae gradui proprius ; et locis ſummis et infimis orti, et divites et pauperes Noſtalgia afficiantur. " Vidi (ait Sauva-
" geſius) puerulum, mendicorum filium,
" cujus proinde patria erant tantum trivia et
" viae publicae, qui parentibus ſuis orbus,
" hoc morbo laborabat †."

In

* Suavages. id. ib.

† Id. ib.

In Noſtalgia ſananda, ſaltem ſimplici, ſecundum Sauvageſium, medicamenta fere inutilia, et quibus, ob paupertatem aliaſve res, patriam reviſere negatur, hi morbo ſaepius perierunt. " In hoc morbo (ait) cura-
" tio ex auxiliis moralibus ſolum eſt repe-
" tenda; ut, ex amicorum conſuetudine,
" ludis, theatris, comeſſationibus: ſed, ſi
" paulo gravior ſit morbus, et illis remediis
" reſiſtat, unicum auxilium eſt in patriam
" reditus; licet enim aegri proſtrati, debi-
" les, vix e lecto ſurgere poſſunt, cum certa
" ſpes eſt ſe in patriam reverſuros eſſe,
" mox ſe melius habent, vires reſumunt, et,
" in ipſo itinere, ſaepe ſanantur. In Noſ-
" talgia complicata (ſcil. cum febris quoque
" adeſt) ad Kinkinam confugiendum eſt:
" emulſiones cum ſufficiente Narcotici doſi
" veſpere ſunt exhibendae; et non ſolum
" proxima ſpes redeundi in patriam ipſis
" facienda eſt, verum utcunque aeger ſit
" debilis et febre correptus, vel rheda vel
" lectica ad parentes ſuos dimittendus.
" Sunt etiam, qui, perſpecta libertate pa-

" triam

"triam ſuam repetendi, ex hoc ſolo illico
"convaleſcunt, et a Noſtalgia liberantur,
"licet patriam ſuam non repetant; ſaltem
"aegri fere, in ipſo itinere, vires, et paulo
"poſt, ſanitatem recuperant *."

C A P. V.

M A N I A.

MANIA ſic a Melancholia diſcrepat, quod aeger Maniacus de ulla re nec recte judicat, nec agit; vel, ſecundum Aretaeum, "Mania eſt ex toto mentis alienatio diuturna "vacans febre."—Maniam ab Imaginatione laeſa nonnunquam ſaltem originem ducere, mihi veri ſimillimum videtur. Haec mea ſententia, rationibus ſequentibus ex ordine illuſtrandis, nititur. *Primo.* Plurima Maniae ſymptomata Imaginationem alias valide agentem ſaepius comitari obſervata. *Secundo.* Homines, qui plerumque

* Sauvages. ib.

rumque Mania afficiuntur, Imaginatione agili valida fere infignes. *Tertio.* Sanandi modus a plerifque laudatus medicis, et multorum hiftoria qui fic fanati eandem firmant fententiam. Porro hujus morbi exempla aliis modis fanati, quae medicos quofdam aliter de morbi origine fentire duxerint, per fententiam quam tueor explicari poffint. *Quarto.* Hypochondriafis, Melancholia faepe; Noftalgia et Noctambulatio nonnunquam faltem in Maniam tranfire videntur. *Quinto.* Theoria hujus morbi a Hallero, et plerifque aliis auctoribus tradita, confideranda.

Primo. Plurima Maniae fymptomata, Imaginationem valide agentem, alias comitari obfervata funt.—In Mania, pathemata facillime excitantur; et, ob caufas leves, ut plurimum augentur.—In priore hujus Tentaminis parte, pathemata ab Imaginatione pendere; et, quo illa, hanc prius egiffe, neceffe, comprobare conatus fum. Si pathemata, in Mania, propter caufas leves, valde

augeantur; Imaginatio viciſſim, ad omnia quaecunque nimium amplificanda, prona.

De Maniacis notatur, falſas quas foveant ſententias, aliquam ad injuriam, quam antea vel acceptam, vel cogitatam putaverint, ſpectare; quodque maxime mirabile, amicos, quos antea cariſſimos fidiſſimoſque habuerant, nunc praecipue ſuſpicantur et oderunt.—Hoc de Maniacis dictum, re de J. J. Rouſſeau, a Domina de Stael memorata, elegantiſſime mihi illuſtrari videtur. "Credo (ait femina illa celebris,) Imaginationem, caeteris ejus facultatibus multo validiorem, has fere deleviſſe, vel (ſi ita loqui liceat,) abſorbuiſſe. Res vitae, potius in mente, quam extra illum, peractae videbantur. Illi ſaepius forſan contigerit, eum, feminam, quam nunquam vidiſſet, de qua tantum quaedam audiiſſet, vivida Imaginatione eam menti pingente et exornante, revera deperiiſſe. Nonnunquam amico quam amantiſſime valediceret; ſi tamen unicum forſan emiſiſſet verbum, quod in malum torquere-

"tur,

" tur, illud in mentem revocaret, perpen-
" deret, amplificaret, uſque et uſque volve-
" ret, tandemque in iras raperetur. Hinc
" ab errore vix liberari potuit; lux enim
" quae mentem ſubita irradiaverit, erroris
" tenebras, quae paulatim ortae et auctae
" mentem obſcuraſſent, fugare haud po-
" tuit. Hinc quoque longa ejus amicitia
" frui, valde ſemper difficile. Unicum ver-
" bum, geſtus unicus, altae materiem me-
" ditationis ſuppeditaret. Res etiam leviſ-
" ſimas quaſi propoſitiones mathematicas
" adligavit, eique concluſiones inde deduc-
" tae, demonſtrationes veluti firmae et haud
" refellendae viſae ſunt *."

Vis omnium, quae voluntati parent, corporis partium, plurimum in Mania augetur. —Neminem latet quantum pathemata ad corpus excitandum et roborandum valeant.

Maniaci perraro ſemper, aliqui nunquam dormire obſervantur.—Etiam quiſque fere novit, quidquid Imaginationem excitare

* M. de Stael, Reflexions on the Life and Writings of J. J. Rouſſeau.

excitare et intendere, id plurimum quoque ad ſomnum impediendum valere. Philoſophus ſublime raptus, quoties levem ſomnum gratumque negligat, dum regiones adhuc incognitas et intentatas, quo aliquid exinde ad gloriam ſcientiarum evehendam, ad generis humani honores augendos, ſuumque nomen aeternum reddendum, referat, perluſtrare audet *? Quoties dulces oblivifcitur ſomnos vir Muſis dilectus, dum felices, quos ſibi ipſe finxerit, orbes laeto exultans gaudio pererret? Quidem, in hiſtoria vitarum quorundam celeberrimorum philoſophorum et poetarum, notatum reperimus, illos paucas tantum horas ſomno dediſſe.

Maniaci rebus externis, et ſenſibus, qui caeteros homines maxime afficiunt, minime attenti. "Saepius (verba ſunt Sauvageſii) omnem cibum obſtinate recuſant; "frigoris et caloris patientiſſimi ſunt; me-"dia

* ——— "For this the penſive Sage,
"Heedleſs of ſleep and midnight's hurtful damp,
"Hangs o'er the ſickly taper."

" dia hieme nudi humi jaceant, nec m-
" tum refrigerantur."—Alias etiam, quum Imaginatio multum excitetur, perparum ad res extra nos poſitas, et ad famem, ſitim, calorem, frigus et caetera attenditur. " Hie-
" ronymus Cardanus, (inquit ſummus Bo-
" erhaavius) de quo dictum eſt, quod eo
" nemo unquam inſaniverit ſtultius, et ſa-
" puerit ſapientius, vectus rheda in ecſta-
" ſim incidit, cogitans profundiſſime. Au-
" riga viae neſcius quaerit, qua via inceden-
" dum eſt; reſpicit et vidit eum nil ſentire;
" ad tenebras uſque nil reſponſi, nil juſſi
" accepit; permittit jumentis ut trahant
" currum: Tandem quieſcunt ſub patibulo.
" Cardanus ad ſe rediens iraſcitur, ſed mox
" cauſam agnovit *." " Quem ardorem
" ſtudii (utor verbis Ciceronis) cenſetis fu-
" iſſe in Archimede, qui dum in pulvere
" quoddam deſcribat attentius, ne patriam
" quidem captam eſſe ſenſerit †." " Tri-
" duo neque bibit, neque edit, neque audi-
" vit,

* Boerhaav. de Morbis Nervorum.

† Cicero de Finibus.

"...nit, neque vidit Vieta dum arcanas notas "interpretabatur *." Narrat auctor libri cui titulus "Eloges de Scavans:" Poetam inter Italos celebrum Marinum, tam intento animo in poemate "Adonis" dicto recensendo et emendando occupatum fuisse, ut crus plurimum, priusquam sensisset, combustum.

Secundo. Ii qui saepissime Maniaci evadunt.—Dicitur ab Aretaeo, qui naturam semper accuratissime observavit, "Illos huic "morbo facillime patere, qui natura sunt "iracundi, acriter excandescentes; verum "et in aetatibus quibus calor et sanguis "multus est, hi furore exagitantur, ut "puberes, juvenes, et viri; victus ratio, "multi cibi assumptio, saturitas immodica, "ebrietas, luxuria, veneris appetentia, hanc "aegritudinem conciliant †."

De Mania quoque notemus illam saepissime inter homines saevire, qui alias Imaginationem maxime validam ostenderunt. Dicit

* Haller. Physiolog. vol. 5.

† Aretaeus de Mania.

Dicit vir illuſtris Mead, " Frequens Maniae
" cauſa eſt nimia mentis intentio, et cogi-
" tationes diutius in aliquid etiam gratum
" et jucundum fixae et inhaerentes. Talis
" enim mentis intentio, cogitatio ita fixa,
" omnes ejus facultatis (ut inter illos qui
" nimium ſtudiis incumbunt, videatur)
" plurimum laedere poſſunt." " Homi-
" nes (inquit vir clarus Robinſon) magna
" mentis vi, ſummo ingenio, Imaginatione
" maxime ſublimi a natura praediti, ſaepi-
" us, dum in altum feruntur, in Maniam
" quaſi proſilire videntur; cum enim cor-
" poris habitu calido, bilioſo ſint, hinc
" neceſſario venit, dum mens ſublime rap-
" ta aliquid cogitatum nobile inſequitur,
" ad altiora uſque et uſque tendens, impe-
" tus ejus majores fiant quam ut cerebrum
" debile tenellum ferat. Ita cerebrum, pe-
" nus pulcherrimorum et utiliſſimorum for-
" ſan cogitatorum, quaſſatur, frangitur, di-
" rumpitur, et omnia vi Imaginationis ni-
" mis fortiter agentis, confunduntur et per-
" miſcentur *."

Plures

* Robinſon on Spleen, Vapours, &c.

Plures etiam, qui de vita ſummorum philoſophorum vel poetarum ſcripſerunt, auctores notarunt, eos nonnunquam ſigna haud dubia Maniae oſtendiſſe: "Fatendum tamen eſt (ait vir doctus Petit) in multis "altiſſimae ſapientiae viris, mixturam ſapientiae et dementiae, ſignis haud obſcuris, deprehenſam fuiſſe. Ut enim vetuſtiores illos taceam Democritum, Heraclidem, Hippocratem geometram peritiſſimum, referre libet quae de Cardani ingenio Thuanus in hiſtoriis memoriae prodidit. Romae (inquit) cum diverſo ab aliis cultu incedentem, paucis ante obitum annis, conſpicati et allocuti, et ſaepius admirati ſumus; cum celeberrimi tot ſcriptis hominis recordatio ſubiret, neque tamen quidquid in eo quod tantae famae reſponderet, animadverteremus *." Clarus Zimmerman narrat, magnos philoſophos Swammerdamium, et Huigenium non ſemel tantum Mania laboraſſe.

* Petit. Annotationes ad Aretaeum.

raſſe *. Fertur etiam ipſum divinum Neutonum ſemel pene Maniacum evaſiſſe. "Taſſus poetarum Italorum princeps, (inquit Hallerus) qui hodiernis temporibus floruerunt, ſi Muratoro de Phantaſia diſſerenti credamus, non ſemel pene Maniacus fuerit †." Hic quoque clari poetae J. J. Rouſſeau meminiſſe liceat; et Petrarcha illuſtris ſemel Mania quodammodo affici certo viſus eſt. Facile, alios plures, et philoſophos et poetas, quorum fama late meritoque pervulgata, ad noſtram illuſtrandam ſententiam, ſi non ſupervacaneum eſſet, referre poſſem.

Quidam quoque de Mania diſſerentes dixerunt, homines eoſdem, Maniacos quam cum ſani, nonnunquam plus ingenii oſtendiſſe.

Tertio. Medendi modus.—In Mania ſananda, aegrotum in quandam obſcuram aedium partem amovere oportet; quae, quam longiſſime diſtare debet ab omnibus, quae ſuſcitare poſſint cogitata, quibus mens ipſa

 indulgere

* Zimmerman, de Bile Atra.

† Elementa Phyſiologiae, v. 5.

indulgere nimium cupit. Hic, quaecunque animum commotum ac perturbatum ſedare queant, quaerenda; et cogitata, quam maxime grata, prioribus diverſa, inducenda. "Debet enim (ait Mead) eſſe lex, vix, aut quam rariſſime, violanda; cogitata illis quae fovere ſolebant omnino diverſa ingerere; quo mens ad alia meliora cogitata paulatim ſe conſueſcat."

De hoc morbo ſanando diſſerens Aretaeus optime quoque monuit: "Inſanientes oportere non eſſe vel ſolos, vel inter eos, quos aut contemnant, aut negligant." Celeberrimi inter recentiores medici, hoc Aretaei monitum comprobant, dum ipſi idem fere moneant jubeantque. "Mentibus Maniacorum (inquit Cullenus) reverentiam, etiamque terrorem hominum quorundam, praeſertim tamen illorum qui ſemper illis adeſſe debent, injicere prodeſt. Hunc igitur terrorem, hancque reverentiam, conſequi conentur; primo illos cohibendi et coercendi ſemper auctores fiant: nonnunquam etiam, ſi

"opus,

" opus, plagae verberaque adhibenda ſint. " Saepe quoque plurimum proderit, ſi iidem, qui nunc coerceant et puniant, omnis, quantum liceat indulgentiae, auctores fiant; probe ſemper memores, metum, " ſi indulgentia abuſa fuerit, incutere." Quam utile ſit, hiſtoria a Boerhaavio tradita optime tamen illuſtrare videtur. " Quidam in Hollandia Boreali, adeo famoſus pro Maniae curatione, ut ſummi " in republica viri male laborantes ipſi " committerentur. Simulac eos in domum " receperat, et inſaniae cauſam prius ex " amicis intellexerat, benigniſſime eos tractavit; at, ſimulac de malo conquerebantur, per tres vel quatuor fatuos, qui hoc " miniſterio ſuperbiebant, loris coriaceis " immiſericorditer flagellebantur, donec " tandem de morbo non auderent queri; " ſilentes, iterum tractabantur benigniſſime, abundantes omnibus, quae deſiderari " poterant; at, vel minimum de morbi " cauſa conqueſti, enormiter vapulabant; " tandem homines illi, ubi ſentiebant quam

" minimam

" minimam ſcintillam inſaniae aſſurgere,
" adeo verbera metuebant, ut inſaniam de-
" ponerent. Novi (mox addit) virum pri-
" mae dignitatis ſic ſanatum, qui, poſt ali-
" quot annos, iterum aptiſſimus reipubli-
" cae gubernandae exſtitit *."

Quodcunque mentis attentionem allicere, et quaſi figere valet, plurimum in hoc morbo profuit. Sic Hallerus et Cullenus dicunt, Maniacos nonnunquam omnino duro labore convaluiſſe.

Plures aliae medelae, quae in Mania ſananda felici exitu uſurpatae fuerunt, ad falſas, quae menti inhaeſerint, impreſſiones delendas, novis aliis et fortioribus oblatis, ſunt accommodatae. Illos in mare ſubito jactandos ſuadet Boerhaavius. " Praecipitatio in
" mare, ſubmerſio in eo continuata, quam-
" diu ferri poteſt, princeps remedium eſt †."
Celſus dicit, terrorem, mentiſque perturbationes, ſaepe utiles fuiſſe. " Subito
" enim

* Boerhaav. de Morbis Nervorum.—Vide etiam Swieten et Haller.

† Boerhaav. Aphoriſm. 1123.

"enim (ait) terreri, et expavescere, in hoc "morbo prodest, et fere quicquid animum "vehementer perturbat." Itinera etiam, ut in Hypochondriasi et Melancholia, sic in Mania profuerunt. "Insanientes (inquit "Aretaeus) debent mutare regiones; et, si "mens redit, annua peregrinatione sunt "jactandi." Cullenus narrat, "se plures "novisse Maniacos, qui prorsus, dum lon-"gum facerent iter, sanarentur."

Anne sententia de origine morbi, quam nunc defendere et stabilire conor, aliis hujusce morbi sanandi modis convenit? Omnes hi tamen medendi modi hac fere sententia nituntur, nimium scilicet totum corpus *excitatum esse*. "Maniaci (inquit "Hallerus) fere sanantur ab iis quae vi-"res frangunt nimias, venaesectione, ar-"teriotime, maximaque copia aquae, in "qua purgantia medicamenta dissoluta es-"sent; quod quidem medelae genus mihi "aliquoties successit *." De Mania iterum differens

* Haller. Elementa Physiologiae, v. 5. p. 568.

differens idem auctor Annotationibus ad Boerhaavii Praelectiones, dicit, "Quae ratio igitur mali? Corporea certe, nam saepe vincitur purgationibus valedissimis, et omnibus quae vires corporis nimias minuant *."—Cum nobiscum reputemus, quam arctus qui mentem inter et corpus intercedit nexus, haud dubitare possumus, corpus etiam, in Melancholia, in Mania, aliisque mentis morbis, plurimum semper affici. Nonne tamen constat omne mentis pathema, omnem mentis actionem, effectum quendam in corpus praestare, majorem vel minorem, pro vi varia qua mens agat? Nonne corpus ipsum affectum mentem quoque pariter afficere vicissim? Nonne omnes animi facultates agiliores, et ad agendum validiores, reddi, omnibus iis quae corporis agilitatem, et vim augere conferant? Nonne contra semper observamus, vim mentis multum minui omnibus quae vim corporis minuant? Nonne mens perinde

ac

* Haller. Annotationes ad Boerhaav. Praelectiones.

ac corpus afficitur? Quid Febre Typho magis corpus debilitet? Quid vires mentis minuere magis valeat?

Si res ita revera ſint (quod vix dubitandum) minime certe neceſſarium, ad Maniae cauſam corpoream confugere, quo, effectuum bonorum, quos, ſanguinis detractio, purgatio aliaeque evacuationes pariant, rationem reddamus. Mihi igitur videtur, argumenta, ad corpoream Maniae cauſam ſtabiliendam, hinc deducta, haudquaquam firma.

Quarto. Nonne Hypochondriaſis et Melancholia ſaepe, Noſtalgia et Noctambulatio nonnunquam in Maniam tranſeunt?—Si conamina mea adhuc haud infeliciter ceſſerint;—ſi veroſimile reddiderim Hypochondriaſim, Melancholiam, Noſtalgiam nonnunquam a ſola Imaginatione laeſa oriri;—ſi hi morbi revera aliquando in Maniam tranſeant, vel illis Mania ſuccedat, nonne hinc recte concludere liceat, Maniam quoque ab Imaginatione laeſa nonnunquam originem ducere? Quoniam ratiocinatio hic perparum prodeſſet, ſententiam hancce (Maniam

ſcilicet

ſcilicet his morbis ſuccedere) auctoritate medicorum, qui, animos ad hanc rem multum attenderint; vel qui, propter obſervationes alias accurate factas, et plurimam praxin, fidem ſummam mereantur, firmandam duco. " Saepius accidit, (inquit Robinſon) ſi maxima non adhibeatur cura, " Hypochondriaſin in Maniam tranſire. " Sub verbo Maniae, omnes quaſcunque " inſaniae ſpecies complexas volo. Si con- " ſtitutio ſit bilioſa, inſequitur Mania maxi- " me rabioſa, voluntati minime parens, " quam comitantur omnia quae aegrotum " audacem, metu vacuum, indicent *." Alio loco dicit, " Melancholia eſt tantum " major Hypochondriaſis gradus, in qua " omnia plurimum augentur ſymptomata. " Si morbus diu permanſerit, infelix aeger " omnem iterum convaleſcendi ſpem amit- " tit; omnia, quae mentem deprimant, an- " gant, terreant, uſque et uſque volvit; do- " nec, tandem omnino fere deſperatus, fiat. " Quumque Melancholia ſit tantum Hypochondriaſis

* Robinſon, ib.

" pochondriasis aucta, pariter Mania est
" tantum Melancholia aucta, et sympto-
" matibus variata, propter variam, quae cui-
" que contigerit, constitutionem aliasque res.
" Hinc fit, ut, terminos cuique morbo pro-
" prios, et propria symptomata, accurate sta-
" tuere nequeamus *." " Qui de medici-
" na, (inquit ill. Mead) scripserint auctores
" duo Maniae genera distinguunt, deque
" illis, ut morbis mentis constantibus sine
" febre, dicunt. Hoc tantum inter se illa
" discrepare putant, quod nempe auda-
" cia furorque unum comitentur, alterum
" moeror, metusque; huic Melancholia, illi
" Mania, nomen. Hi autem morbi tan-
" tum gradu differunt: Melancholia, enim,
" serius citiusve in Maniam, fere semper
" transit; cumque furor cessaverit, moesti-
" tia gravior quam antea, redit." Celebris
Cullenus hanc etiam tuetur sententiam,
quanquam fatendum, mentem, ad dilectam,
quam ipse protulisset doctrinam, inclinasse.

* Robinson, ib. pag. 226.

" Mania (ait) saepius est major tantum Me-
" lancholiae gradus."

Hallerus quoque nos certiores facit, Nostalgiam nonnunquam in Maniam transire. Quanquam haec res ab nullo alio auctore quem adivi memoratur, mihi tamen minime dubia videtur, sola Halleri auctoritate nixa, qui, ipse Helvetia ortus, et nemini observandi diligentia secundus. Nonne igitur nimium essemus increduli, si tanto, de tali re, viro credere dubitemus.

Somnambulismus quoque aliquando in Maniam transire dicitur. Illis, qui hoc morbo laborant, (recte enim dicatur morbus) Imaginatio certe, et agilis maxime et valida. " Ob fortissimum autem affectum,
" (verba sunt Halleri) et in parte sensorii
" communis violentum motum, hic morbus
" (Noctambulatio scilicet) multa cum deli-
" rio communia habet, et in Maniam tran-
" sit *."

Quinto. Consideranda veniunt argumenta alia, quibus theoria hujus morbi, ab Hallero

* Haller. Elementa Physiologiae, v. 5. p. 627.

ro aliiſque tradita nititur.—Praeter rationes jam memoratas, quae, ex venaeſectione, purgationis aliarumque utilitate evacuationum, ſuppeditantur, haecce illorum ſententia, cerebri mutationibus morboſis, ab anatomicis obſervatis, nititur. " Frequenter " omnino (inquit Hallerus) in fatuorum " cerebris, evidentes et mechanicae cauſae " mali, a morte, repertae ſunt. Ita Willi-" ſius vidit, et Kerkringius flaccidum nem-" pe cerebrum, et intus lapidem; molle " pariter cerebrum cum cerebello ſchirrho-" ſo Pariſini; ſolidius e contrario cerebrum " Lanciſius vidit."—Fides ſemper obſervationibus Williſii et Kerkringii habeatur; et minime equidem, Morgagni, aliorumque anatomicorum jure clarorum, qui, ſe in cerebri ſectionibus varia morbida vidiſſe nos edocent, accurationem et veritatem ſuſpicari velim. Illis, quantum ſcio, fuit nulla dilecta quam tuerentur theoria; igiturque nulla cauſa, cur res quas obſervando didiciſſent aliter quam revera fuerint, dicerent, minimumve augerent.—Conſtat quidem

Maniam,

Maniam, ſaepe ab injuriis cerebro illatis, originem ducere. Nonne tamen Mania ſaepe quoque oritur, quum nec externa ulla cerebro illata fuerat injuria, nec inferri potuit? Praeterea celeberrimi confitentur anatomici, ſe, nullam quam minimam cerebri mutationem, in plurimis exemplis, deprehendere potuiſſe, unde ſuſpicio etiam de morbi cauſa oriretur. Nonne etiam nimium Maniae terminos prolatamus, ſi intra illos omnes quoſcunque mentis facultatum morbos, a laeſo cerebro provenientes, complectamur? Non omnino forſan aequum, de omni Maniae ſpecie, eadem ratiocinari, eadem concludere. Quanquam, propter quaedam, quae maxime extent, phaenomena, eaedem videantur; nonne tamen veriſimillimum eſt illas, rebus in aliis quae etiamſi minus conſpicuae, non ideo tamen levioris momenti, plurimum a ſe invicem differre? Si concedatur autem, tales revera fieri cerebri mutationes, non exinde, quae morbum comitantur, ſymptomata explicare poſſemus. Quomodo etiam, talibus nixi principiis,

cipiis, rationem reddamus, cur remedia qualia " praecipitatio in mare, " " ſubitus " terror," " menſque vehementer pertur- " bata," " variaeque quae oculis in itinere " obverſentur res," tantum profuerint, tantumque fuerint laudata.

Quidam etiam Maniam a cerebro pendere putant; quia cum cauſa, quae eam primo induxerit, ſublata fuerit, morbus non ideo tollitur. Ita clarus Robinſon dicit. " Probe ſcio quoſdam cenſere, ſi pathema, " unde Mania originem duxerit, tollatur, " morbum illico ceſſaturum. Hic tamen " plurimum erratur. Ipſe enim novi virum " cujus filia, quam habuit unicam, prop- " ter nimium juvenis amorem, Maniaca " evaſit. Pater, amicis ſuadentibus, juveni " permiſit ut filiam matrimonio duceret. " Speravit illam ſic forſan convalituram; " quamvis enim nunquam, ut ſanam dece- " ret, melius multo tamen dum ille adeſſet, " locuta eſt. Connubium Maniam non mi- " nuit, nec id, quod functiones impedi- " ret cerebri, amovere potuit; ſaepius enim

" illum

" illum occidere conata fuit, donec tandem
" in Hoſpitio Inſanorum illam includere
" neceſſarium duxerunt. Nonne hinc (ad-
" dit) omnino probatur tales illos morbos
" a malo fibrarum cerebri motu non ab ul-
" la animi ipſius pertinacia, vel morbo,
" pendere * ?"—Hic vir celebris concluſionem eduxiſſe videtur, quae minime rebus praemiſſis concedatur. Nonne ſequens concluſio, ſola quam ſecundum ratiocinationis juſtae leges hinc inferre licet; mentem ſcilicet, quum ſemel in quendam cogitandi quaſi ordinem, propter cauſas vel nimium validas, vel nimis diu durantes, fuerit coacta, non ſtatim, poſt cauſas amotas, ad eadem cogitata, vel cogitandi modum, cui ſe prius conſueverat, redire ? Nonne hoc omnino naturae, quantum adhuc cognoſcitur, humanae mentis convenit ? Nonne mens, quum ſe nimis diu, vel obnixe nimium, ad quaedam cogitata attenderit, ita tandem in illis inhaeret, ut valde difficile, nonnunquam quidem ne fieri poteſt, ut illam ad alia quaecunque

* Robinſon on the Spleen, &c. page 392.

cunque convertere possimus? Sic etiam, quod ad corpus attinet, res fit. Nonne corpus, quosdam agendi modos, si causae nimiae, vel nimis diu admotae fuerint, acquirit? qui, causa sublata, perstant, et lente, si unquam, minuendi.

Nonne etiam verisimile, plurimas illarum, quas anatomici in cerebro observaverunt, mutationum ab Imaginatione diu, fortiterque agente, originem duxisse?—Pauci tantum effectuum, quos in corpore Imaginatio ostendat, sunt nobis bene perspecti; hoc tamen certo constat, illam sanguinis motum, pro varia qua agat vi, magis minusve augere: Nonne hinc auctae cerebri soliditatis et ponderis rationem probabilem reddamus? Hanc sententiam, sequens ab Hallero facta observatio, quodammodo firmat. "In iis, "qui ex febre cum dilirio extincti sunt, "semper plurimam sub pia matre lympham "reperimus; et in Maniacis frequens est "vasa cerebri farta reperire sanguine mul-"to atroque." Nonne verisimile est cerebellum schirrhosum; mollitiem, et flacciditatem

ditatem aliarum cerebri partium, dum aliae durae et ſchirroſae ſint; ulceraque, in cerebris Maniacorum, ubi nulla vis extrinſecus illata fuerat, obſervata; nonne veriſimile, inquam, talia etiam, ab hac cauſa, originem duxiſſe?

C A P. VI.

E P I L E P S I A.

PAUCI ſunt morbi, qui, quam Epilepſia, exemplum melius praebere poſſunt, vis qua mens polleat. Nonne propter rationes quae ſequuntur veriſimile videtur, Epilepſiam, a ſola Imaginatione nonnunquam oriri? *Primo.* Quia plurima Epilepſiae ſymptomata, effectibus aliis, quos Imaginatio pariat, prorſus conveniunt.

Inſigne hujus morbi ſignum; aegroti membra vehementer convelli, corpuſque ipſum varie moveri et agitari. Viri, quibus mandata

mandata *Magnetiſmi Animalis* indagatio, obſervarunt, in *Magnetiſmi proceſſu*, membra vel etiam totum corpus, motibus frequentiſſimis et invitis convelli.

In omnibus Epilepſiae exemplis, muſculi faciei et oculorum plurimum afficiuntur, inde varias magnaſque vultus diſtortiones faciente.—Sic etiam res, in *Magnetiſmi proceſſu*, fiebat; et in illo praecipue notatae "magna oculorum contortio et fe-"ritas."

Dum tales membrorum et corporis motus perſtent, humor ſpumeus fere ab ore fluit.—Pariter aquae viſcidae exſcreatio convulſiones Magnetiſmi comitabatur. In hiſce quoque convulſionibus, ſicut in illis Epilepſiae veris, ſputa nonnihil aliquando ſanguine tincta.

Convulſiones Epilepticae parumper fere vim remittunt; ſubito autem majore cum violentia redeunt.—Ita omnino fiebat quoque in *Magneticis* illis convulſionibus.

Aretaeus dicit, "In paroxyſmo Morbi "Comitialis vox eorum nihil, niſi gemitus

" et ſuſpirium, eſt; reſpiratio vero ſuffoca-
" tio quaedam eſt, veluti in iis qui laqueo
" ſtrangulantur *." " Unus e noſtris ae-
" gris (inquiunt philoſophi modo memora-
" ti,) prorſus elinguis fiebat; ſoni debiles
" et confuſi tantum audirentur, etiamſi co-
" namina muſculorum gutturis, linguae, et
" labiorum ad voces reddendas omnino pa-
" tebant."

" Caeterum cum a morbo quieſcunt, (ait
" Aretaeus,) ab initio ſegnes ſunt, capitis
" gravitate premuntur, languidi, pallentes,
" animo conſternati." " Pariter edocemur
" languorem, et quandam quaſi ſomniatio-
" nem, convulſiones ſive *criſes Magnetiſmi*
" ſequi; animi pendent; ſtupent aegri; non-
" nunquam quaſi ſemiſomnes videntur †."

" Talia (inquit Cullenus) ſunt maxime
" frequentia morbi ſigna; tantum in aliis, et
" aliis hominibus, vel in homine eodem, tem-
" poribus aliis, diſcrepant, prout ſymptoma-
" ta memorata magis minuſve violenta ſint;
" diutius

* Aretaeus de Morbo Comitiali.

† Id. ib.

" diutius breviusve perdurent." Eaedem hae res semper in *Processus Magnetici crisibus* fuerunt notati.

Secundo. Haecce sententia de origine morbi, ulterius firmari videtur ex causis quae saepissime morbum inducant, et illius paroxysmos renovent; ex rapiditate qua ab aliis ad alios Epilepsia diffunditur; et ex rebus quae illius paroxysmos jam saevientes afficiunt; et quia saepe primo inter somnia incipit, et inter somnia redit.—Maxime frequens et forsan potentissima causarum quae Epilepsiam inducant est Imitatio. Exempla pauca vis qua pollet hic referam. " Omnia terribilia spectacula, spectatores " imbecillos, et teneriores sensibiliorisque " constitutionis, in similes motus perversos " conjiciunt. Hoc observatum est in vir-" gine viginti sex annorum, tenerioris et " sensibilioris naturae, spasmodicis affecti-" bus obnoxiae, quae, ex fenestra prospi-" ciens, ex improviso, vetulam horrenda " Epilepsia correptam in platea conspexit; " unde concepto horrore statim in Epilep-

" siam

" ſiam per dimidiam horam durantem, mi-
" ſerandumque in modum torquentem in-
" cidit, quae ſingulis diebus eadem hora
" pari ſaevitate rediit *." Sequens exemplum a ſummo Boerhaavio obſervatum, a claro viro Kaau Boerhaavio enarratur: " In
" domo qua pauperes ex eleemoſynis pub-
" licis aluntur in civitate Haerlemenſi, per-
" territa puella, in morbum nervorum con-
" vulſivum, certis paroxyſmis redeuntem,
" incidit; adſtantium et adjuvantium, in
" eam intenta turba, itidem corripitur eo-
" dem morbo; poſtridie altera, deinde ter-
" tia, quarta, in eum, fere omnes tam pueri
" quam puellae, inciderunt. Status miſerri-
" mus! corripitur hic, corripitur illa, uno fere
" omnes eodem tempore, dum unum alter
" proſpicit, proſternuntur †." Adhuc alium addam, quod, nobis a philoſophis quibus mandata *Magnetiſmi* indagatio, traditur. " Paucos ante annos, ad diem *cere-*
" *moniae*

* Ephemerides, Naturae Curioſorum, anno 1730, pag. 302.

† Kaau Boerhaave Impetum faciens, § 406.

" *moniae* primi *convivii ſacri* in *paraecia*
" *St[i] Roch* celebrati, poſt cultum divinum
" veſpere exactum, per trivia, ut mos fert,
" proceſſerunt. Pueri et puellae ad eccle-
" ſiam reverſi vix ſedes prius ceperant,
" quam puella aegrotabat, et brevi convel-
" lebatur. Hicce affectus ita rapido pro-
" pagatur, ut dimidiam intra horam, quin-
" quaginta vel ſexaginta puellae, a duo-
" decimo ad decimum nonum annum na-
" tae, iiſdem corripiebantur convulſionibus.
" Idem quoque affectus iterum iterumque,
" hebdomade nondum exacta, apparuit;
" ſed, ad proximam diem dominicam, om-
" nes puellae in unum fuerant collectae
" locum, una cum dominis *Sanctae Annae*
" dictis, quae id agunt, ut illas in probis
" inſtituant moribus. Duodecim tunc tem-
" poris convellebantur puellae; citoque cae-
" terae eodem fuiſſent convulſae modo, ſi
" non ad ſuam quaeque rediiſſet domum*."
—Eſtne Imitatio ſimplex noſtrae mentis
princi-

* Report of the Commiſſioners charged with the examination of the Animal Magnetiſm.

principium, unde tanti, tamque miri, proveniunt effectus? Semper equidem putavi Imitationem minime ſimplicem. Si natura ejus accurate perpendatur, ſententia, quam antea protuli (illam ſcilicet ab Imaginatione plurimum pendere,) forſan veriſimilior videatur; plures jam memoravi rationes quibus haec opinio nititur.

Aliquot etiam traduntur Epilepſiae exempla, quae, originem a quibuſdam ſonis duxerint. Ita Boerhaavius narrat, "Cum puer-
" pera audiviſſet ſubito ſonum campanarum
" Epileptica convellitur; durante ſono, no-
" vum inſultum patitur; ſilentibus campanis
" ceſſant convulſiones; poſt tres dies rediit
" iterum hic ſonus, rediit etiam inſultus
" Epilepticus, et moritur *." Puerperarum corpora valde irritabilia, Imaginationemque earum agilem, a cauſis etiam leviſſimis, ad nimios actus excitari omnibus notum. Infantes quoque ſonis inſolitis auditis Epileptici evaſere. "Viſum eſt (inquit Boerhaa-
" vius)

* Boerhaav. de Morbis Nervorum, p. 809.

"vius) quod puer non ita diu natus per "clangorem turbarum fiebat et manebat "Epilepticus. Imaginatio fortis (addit) "imprimis hunc affectum producit * ;" quem forsan pathemata quoque nonnihil augeant.

Vis Imaginationis, in paroxysmis redintegrandis, a plerisque memorata auctoribus, omnibus bene nota. Plurima illius exempla memoriae prodita. "Puer (utor verbis ill. "Swietenii) cum canis lanienus in illum "insiluisset, Epilepsia correptus, ruebat. "Alio cane viso, sive ejus latratu, vel pro-"cul audito, paroxysmus rediit †." Haecce vis Imaginationis, experimentis factis a philosophis *Magnetismum animalem* indagantibus, optime illustratur. Unum tantum ex plurimis hic proferam: "Feminam, "quae saepius ante, vi sola Magnetismi, "convulsionibus fuerat affecta, in aedium "partem, ubi nostra facta fuerunt experi-

"menta,

* Boerhaav. de Morbis Nervorum, p. 809.

† Swieten. Commentar. in Aphorism. Boerhaav. vol. 3.

" menta, ducendam curavimus; eique fi-
" dem fecimus ipſum Dominum Deſlon
" adeſſe. Undique ſilebat; tres tantum e
" noſtro numero aderant, quorum unus
" illam de quibuſdam rebus percontabatur;
" alter res ut quaeque obſervata fuerit,
" ſcriptis conſignabat; tertius ſe Dominum
" Deſlon ſimulabat. D. Deſlon compella-
" bant; utque *proceſſum* inciperet, petebant;
" dum interea tres, quibus mandata inda-
" gatio, omnino conquieſcerent, in ſymp-
" tomatibus notandis ſolum occupati. Poſt
" tria horae *minuta* tremorem nervoſum
" ſentire incepit; aliaque, quae praeire ſo-
" lent ſymptomata, unum alterum rite ſe-
" quens, prodierunt; tandemque in *criſin*
" omnino abſolutam incidit *."

Quodcunque vel quam minimum conferat ad res in memoriam revocandas, quae paroxyſmos comitatae fuerint, ſaepe paroxyſmos redintegrare valet. Hoc, nititur ſapiens Galeni conſilium, ut, omne quod morbum

* Report of the Commiſſioners charged with the examination of the Animal Magnetiſm.

morbum ad mentem revocare poteſt, evitemus.

Morbus ab alio ad alios tam celeriter propagatus, oſtendit etiam illum a mente oriri. Par hujus rei ratio, quam animi perturbationum in theatro diffuſarum; vel ardoris pugnae, militum pectora pervadentis.

Nonne res, quae paroxyſmos jam ſaevientes plurimum afficiunt, eandem hanc ſententiam firmare conferunt? Soni, in paroxyſmis varie afficiendis, maxime inſignes. Soni in Imaginationem, ſemper multum pollent. Semper, nec inutiliter, ſonis, pro rebus variatis, *Magnetiſmi animalis* fautores utebantur.

Per ſomnum Imaginatio valde agilis eſt, et vividiſſima; Epilepſia ſaepe dum dormiamus, et inter ſomnia invadit primo, iterumque redit. " Summa cura (inquit Boerhaavius) cum ſolicitudine maxima, noctes dieſque ſuſtentata, imprimis in debilibus, eos proclives reddit, ad ſomnia terrifica. Epilepſiae, inde natae, tantum invadunt in ſomno.—Vidi, ubi hoc du-

"ravit per annos, nullo paroxyſmo inter-
"diu hominem compellante.—Hae Epi-
"lepſiae difficillime ſunt curabiles, et ut
"plurimum tandem lethales. Tales aegri
"plerumque narrant, ſe, vel de puteo in
"quo laberentur, vel de atra quadam ima-
"gine ſomniaſſe." Quaedam alia hic exempla proferre, minime difficile, res autem omnibus, qui Epilepſiam ſaepius obſervaverint, nota.

Tertio. Eadem haec ſententia magis firmata videtur, dum homines huic morbo plerumque obnoxios, ſpectemus.—"Habi-
"tus corporis (ait Gregorius) nimis ſen-
"tiens et nimis mobilis, homines ſpaſmis
"opportunos reddit; hinc malum feminis,
"infantibus, luxurioſis, ſanguine plenis,
"familiare *." Nonne his quoque Imaginatio imprimis agilis, imprimis vivida?

Quarto. Remedia medicis ſaepe cum feliciſſimo, in Epilepſia ſananda, exitu adhibita, tantum prodeſſe potuerunt, vi qua ad Imagina-

* Gregor. Conſpectus Medicin. Theoret. vol. 1. p. 212.

Imaginationem et pathemata excitanda et augenda pollent. Primum, quomodo celeberrimum illud Haerlemi exemplum, quod jam a Kaau Boerhaave exſcripſi, ſanatum fuerit, memorare liceat. Verbis ipſius Kaau Boerhaave utor: "Medici ſoler-
" tes fruſtra adhibent quae dictat ars ſalu-
" berrima medicamina. Confugitur tan-
" dem ad Boerhaavium, qui miſertus infe-
" licis pauperum ſortis, petiit Haerlemum,
" et dum rem examinat, invadente in unum
" paroxyſmo, vidit convelli plures ſpecie
" Epilepſiae. Datis incaſſum optimis re-
" mediis a medicis ſapientiſſimis, et ex
" Imaginatione ab uno ad alterum traducto
" morbo; his inquam rite perpenſis, hanc
" avertendo, credidit poſſe curam obtinere,
" et obtinuit. Scilicet praeſentibus omni-
" bus, juſſit per cameram diſponi fornaces
" portatiles, prunis ardentibus inſtructas, et
" iis imponi ferreos hamulos ad certam fi-
" guram adaptatos; tum ita mandavit, ut
" qui primus, puer foret, vel puella, in-
" fauſti morbi paroxyſmo arriperetur, lo-

" cus

" cus quidam nudati brachii ad os usque " inureretur, utque gravitate pollebat di- " cendi, perterriti omnes ad crudele reme- " dium, dum instare sentiunt paroxysmum, " omni mentis intentione eidem resistunt " fortioris oblatione ideae *."

Remedia plurima a veteribus laudata, si revera ullam possederint vim, solum pro- fuisse videntur, ob fidem praeviam se utilia futura esse. " Fama est (inquit Aretaeus) " et vulturis cerebrum, et crudae fulicae " cor, et domesticas feles comestas morbum " discutere. Nonnullos vidi nuper jugu- " lati hominis vulneri phialam subjicientes, " atque inde haustum cruorem bibentes, " quin et quendam auctorem legi, qui hu- " manum jecur epulandum apponi jussit †." Plinius narrat plurimum valuisse, gladiatoris jam occisi sanguinem calidum bibere. " San- " guinem quoque (ait) gladiatorum bibunt, " ut viventibus poculis, Comitiali Morbo " laborantes; quod spectare facientes ea- " dem

* Kaau. Boerhaav. loco prius citato.

† Aretaeus de Curatione Morbi Comitialis.

" dem arena feras quoque horror eſt; at " hercule illi ex homine ipſo ſorberi effica-" ciſſimum putant calidum ſpirantemque. " Humanorum alii medullas crurum quae-" runt et cerebrum infantium *." Alius vetus ſcriptor narrat partem jecoris gladiatoris comeſtam multum in morbo comitiali ſanando pollere. Alexander Trallianus dicit " illi omnino experientia conſtare, ci-" neres partis recentis gladiatoris jam mor-" tui, uſtae, vino mixtos ſeptieſque aegro " datos valde efficax eſſe remedium †." Remedia inepta et ſuperſtitioſa recentioribus uſurpata temporibus, ſi revera utilia, eodem profuerunt modo.

Locorum et rerum mutatio, dicitur ſaepius in hoc morbo profuiſſe. Hancce rem quidam inter recentiores notaverunt auctores, quae ab eximio etiam memoratur Aretaeo. " Ambulationes longae commodae " ſunt, non flexuoſae; bonum ſpiritum red-

" dunt,

* Plin. Hiſtoria Natural. Lib. 28. cap. 1. et Lib. 30, cap. 10.

† Alexander Trallian. Lib. 1.

" dunt, ſub arboribus myrto et lauro, aut
" inter bene olentes herbas, maxime qui-
" dem agreſtes et ſponte naſcentes : ſin ha-
" rum copiam non habent, inter humano
" cultu procreatas. Inter has quoque geſ-
" tationes longae et rectae fiant. Itinera
" facere bonum eſt, non tamen ſecundum
" flumen, ne delabentem aquam intueatur ;
" vertiginem enim aquae fluxus adfert ;
" neque ullum, qui in orbem volvatur, ne-
" que turbinem qui circumagatur, adſpi-
" ciat ; eſt enim imbecillior quam ut fir-
" mum ſtabiliat animum, nam ſimul cum
" circulo vertitur *."

Quinto. Epilepſia nonnunquam Melancholiam et Maniam, quarum originem ab Imaginatione oſtendere conati ſumus, excipit, illiſque excipitur. Plures clari medici, de Epilepſia accurate differentes, hujus rei meminerunt. Ita vir ill. Mead ; " Melan-
" cholia, ſi diu perſtiterit, ſaepius Epilepſia,
" vix medicina curabili excipitur. Saepe
" etiam Maniam diu durantem Epilepſia
" excipit ;

* Aretaeus loco prius citat.

" excipit; hi enim morbi arcte inter se
" conjuncti sunt *." Nexus, qui Maniam inter et Epilepsiam intercedit, optime exemplo quod sequitur a Boerhaavio enarrato, illustratur. " Novi (ait ille) in hac
" urbe nobilem, et pulcherrimam puellam,
" dein, uxorem, postea viduam. Huic hi-
" lari accidebat ingens, et non toleranda
" contumelia, quam tacite ferebat et com-
" primebat. Incepit dein laborare morbo
" miro, qui subito, sine manifesta causa, ex
" surgeret. Facie ad misericordiam com-
" posita, rogaret vicinos ut ipsam sustine-
" rent; dein ut alloquerentur; tandem,
" morbo progrediente, ut vellent oscula
" dare. Duravit hoc per octavam partem
" horae; dein constabat omnibus sensibus.
" Hoc ipsi in templo et in platea publica
" accidebat. Durat hic morbus per tres
" vel quatuor annos; tunc miserrima Epi-
" lepsia, quam unquam vidi, fuit affecta;
" quae, tentatis omnibus remediis, pejor
" evasit. Illa tandem Mania correpta;
" tunc

* Mead. Monit. et Praecept. de Epilepsia.

"tunc non amplius epileptica; ſed ubi ſe-
"dabatur Mania, revertebatur Epilepſia *."

C A P. VII.

H Y S T E R I A.

Hicce morbus, qui tantum priorem refert, illius quoque inſtar, multum a mente pendet. Medicinae annales plurima exempla praebent illius fere ab omni mentis pathemate, vel nimio vel nimis diu perſtante, originem ducentis: et cum ex alio fonte oriri videtur, pathemata tamen, ad paroxyſmos redintegrandos, plurimum ſemper valent. Nonne autem veriſimile Imaginationem agilem vividam, parum cohibitam, Hyſteriam nonnunquam induxiſſe? Similitudo etiam cum Epilepſia tali ſententiae favet.

Notandum

* Boerhaav. de Morbis Nervorum.

Notandum primo homines maxime Hysteriae obnoxios, habitu corporis maxime irritabili, Imaginatione agili vividaque praeditos esse. Feminas saepissime, raro viros, invadit. Inter illas, plerumque, ab aetate pubere usque ad annum aetatis trigesimum quintum, per menstrua fere tempora, saevit. Feminae temperamenti sanguinei dicti, steriles, quam proli generandae aptae, saepius corripiuntur. Illas quoque frequentius afficit, quae antea nymphomania laboraverint *.

Plura etiam gravissima Hysteriae symptomata, *Magnetismi Animalis processu*, fuerunt observata.—Philosophi, quibus mandata indagatio, nihili quidem meminerunt, quod omnino cum eo, *Globo Hysterico* dicto, conferatur; sensum autem, quem producit, quasi praefocantem, frequentem et gravem, in experimentis observarunt.—In Hysteria corpus ipsum ultro citroque contorquetur, multumque convellitur, et membra varie valideque moventur. Dentes saepe cum

O magna

* Cullen's Practice of Physic.

magna vi colliduntur, conteruntur. Inter illos paroxyſmos, aegrae ridendi et flendi quaſi paroxyſmis invitis obnoxiae: riſu fletuque ſe ſubito viciſſim excipientibus. " Senſibilitas animi (ait Sauvageſius) tanta " eſt, ut leviſſimus januae ſtrepitus, dum " clauditur vel pulſatur, illas convellat " Hyſtericas, ſi inopinato accidat." " In " jam ſaepius dictis *Magnetiſmi Animalis* " *criſibus*, corpus et membra, nonnunquam " magna vi, contorquentur et convelluntur; " guttur ſe contrahit; *Hypochondria* et *Epi-* " *gaſtrium* ſubito multumque afficiuntur. " Feritas oculis ineſt, clamant, lachryman- " tur, ſingultu vexantur, immodiceque ri- " dent. Strepitu inopinato, etiam quam " minimo, expaveſcunt, tremunt *."

Paroxyſmi ſaepius redeunt et maxime ſaeviunt, in locis ad Imaginationem excitandam et intendendam aptis, qualia ſunt theatra omneſque coetus frequentes.

Sicuti in Epilepſia fit, aliae, ſolis viſis et auditis Hyſteria convulſis, ipſae Hyſtericae

* Report of the Commiſſioners, &c.

tericae factae fuerunt. " Semel (inquit " clarus Falconer) occasio hujuscemodi ex- " emplum videndi mihi oblata fuit. Per " cultum divinum, femina nobilis Hysteriae " convellebatur paroxysmo. Horae *minuto* " nondum exacto, aliae sex eodem omnino " convellebantur modo, quarum nonnullae " antea nunquam Hysteria laboraverant*."

Hysteriae paroxysmi quoque, sola priorum recordatione, redintegrantur. Eadem haec res saepius de *Magnetismi crisibus* notata. " Dominam P—— ad Armarium " ubi D. Lavoisier habitat, apud quem " quoque Dominus Deslon erat arcessi " curavimus. In conclavi anteriore illa pri- " us in *crisim* incidit, quam vel philosophos, " qui aderant, vel Dominum Deslon, con- " spexisset, tantum quia noverat se illum " brevi visuram. Insignis (addunt) effec- " tus virium quibus Imaginatio polleat !"

Hysteria simulata, saepius repetita, nonnunquam in Hysteriam veram transiit. " Mihi omnino constat, (inquit Robinson,) " motus

* Falconer's Dissertation on the Influence of the Passions in Diseases.

"motus illos corporis abnormes, animi im-
"petus repentinos, numinis afflatus fictos,
"nuperorum illorum Galliae vatum, nihil
"aliud esse quam virorum convulsiones,
"et feminarum leves Hysteriae paroxys-
"mos. Novi ipse adolescentulam, quae,
"cum se illis paulisper comitem adjunxis-
"set, se, in violentissimos Hysteriae pa-
"roxysmos, pro lubitu injicere potuit.
"Quanquam tamen illos quoties voluerit
"inciperet, non ideo tamen ad lubitum
"sistere vel cohibere potuit. Inducti se-
"mel, pergerent, nec, nisi post certum tem-
"poris spatium, finiendi; omnino parox-
"ysmis Hysteriae verae similes *."

Nonne etiam, ex rebus quibus nonnunquam paroxysmis venientibus occursum fuit, et e sanandi modis felici exitu usurpatis, eadem de Hysteriae origine concludere licet? "Di-
"citur (inquit Falconer) metum in liberis,
"ne parentibus displiceant, paroxysmis
"Hysteriae venientibus occurrere posse,
"certiorque factus fui, a viro omni fide
"digno,

* Robinson on the Spleen, &c. pag. 222.

" digno, quod per res Scotiae turbidas, an-
" nis MDCCXLV, MDCCXLVI, Hyſteriam
" ibi nunquam fuiſſe obſervatam *."

In Hyſteria ac in Epilepſia ſananda niti debemus, ut animum ab illis quae morbum primo induxerint, vel a rebus quae paroxyſmos comitatae fuerint, quantum fieri poteſt, avocemus; utque alia nova et meliora cogitata inducamus. " Huic morbo ſanando
" (verba ſunt Sauvageſii) proſunt quae cor-
" pus roborant, animum recreant, et men-
" tem morbi idea avertunt; ut exercitatio,
" itinera, ruſticatio; ut cupitorum obtentio,
" virgini lubidinoſae matrimonium, conjugi
" zelotypae vir fidelis, poſt aerumnas for-
" tuna proſpera, ſi ex his cupiditas explea-
" tur †."

CAP.

* Falconer Libello ſupra citat.

† Sauvages. Noſologia Methodica.

CAP. VIII.

APOPLEXIA.

Plurimae res haud dubitare ſinunt, Apoplexiam nonnunquam a pathematibus acrioribus originem traxiſſe: fatendum tamen minime conſtare exemplis, Imaginationem ſolam unquam eam induxiſſe. Si pariter ad mentem revocemus, Imaginationem plurimum ad curſum ſanguinis augendum pollere, homineſque Apoplexiae maxime obnoxios fere pleni eſſe corporis; rationes minime deerunt, cur putemus ſi ſola effectus tantos haud edere poteſt, illam non parum ſaltem ad alias fortiores cauſas intendendas et adjuvandas valere. Nonne haec ſententia quoddamodo firmatur re, cujus ſummus Boerhaavius meminit? "Nobilis "puella, (inquit) in conſortio audiens nar-"rare turpem hiſtoriam, et ſe ſuſpectam "credens, mox rubet ad collum uſque, ca-"rotides ita pulſant, ut ſubſiliant ornamen-

"ta

" ta colli*." Annon verisimile, Apoplexias doctorum hominum frequentiores, ab Imaginatione fortius agente, interdum oriri? " Studium enim (inquit Haller) quaedam " habet amoris similia, et circuitum sangui- " nis incitat." " Senserunt omnes, (utor " verbis cel. Swietenii) qui severis studiis " animum adhibuerunt caput gravatum, et " molestam tensionem in encephalo dum " nimis diu protrahuntur illis labores †." " Cl. Morgagni quoque dicit, se quen- " dam novisse hominem, cui, siquando " mane in lecto, animum in paulo ab- " strusiora intendisset, levis epistaxis post- " quam surrexerit nunquam non accidit."

PARS

* Boerhaav. Ibid. pag. 555.

† Swieten. Commentarii, Vol. III. pag. 267.

PARS II.

De quibusdam Morbis, qui, ab aliis causis orti, sola Imaginatione gravantur vel leniuntur.

CAP. I.

PYREXIAE.

FEBRES INTERMITTENTES.

OPTIMI auctores de Febribus Intermittentibus differentes, illas plurimum a mente et invadentes et recedentes pendere notarunt. Pathemata tamen magis extantia praecipuam medicorum attentionem sibi vindicarunt.

Praeterea quod pathemata, ab actibus Imaginationis quae praeiverint verisimilius pendeant; tantum oportet, remedia quae exitu felici in his morbis sanandis nonnunquam adhibita fuerint, leviter et oculo quasi

quasi festinante percurramus, quo nobis prorsus perspectum sit, Imaginationem solam, pathematibus nihil vel parum saltem adjuvantibus, hic multum pollere. Ita fertur araneas vivas, et partes myxarum exustas a candelis vel lampadibus emunctas, taliaque alia remedia saepe nec inutiliter fuisse usurpata.—Minime certo putandum vires quascunque, etiam quam minimas illis inesse, quibus in istis morbis sanandis prodesse possent. Nonne veri videtur similius, illa, propter pompam mysticam, quâ adhiberi solebant, ad Imaginationem excitandam ita aptam, utiles suos praestitisse effectus? Si concedatur autem illa revera quasdam ad corpus immutandum dotes habere; non sic virium, ad Febres tales fugandas, quibus amuleta et incantamenta polleant, rationem reddere speremus. Quodcunque igitur ab istis omnibus remediis hucusque provenit, vel unquam proveniat felix et utile, omnino Imaginationi tribuendum. Ita haec sententia plurimum firmatur. Semper fere observatum, Febres istas magis minusve le-

vatas, citius feriufve fanatas, pro varia Imaginationis agilitate et vi.

Soni quidam (fi illuftri credamus Sauvagefio) nonnunquam quoque in his morbis fanandis profuerunt. " Vidi (inquit) quem
" immanis dolor capitis alternis diebus cum
" Febre vexabat, et quem mire fublevavit
" iteratus quotidie per aliquod tempus tym-
" pani bellici fonus; cui fpectaculo moef-
" tus intereram, utcunque ludicrum exteris
" vifum effet; agebatur quippe de cognato,
" qui hujus et aliorum ope auxiliorum con-
" valuit *."

Nonnullis forfan in exemplis, effectus miri corticis Peruviani in Febribus Intermittentibus fanandis, Imaginationi illum adjuvanti, aliqua ex parte, adfcribendi; fides enim ejus virium nunc ubique patet et dominatur.—Haudquaquam tamen minimam vis propriae nobilis hujufce medicamenti fufpicionem, in cujufvis mentem ingerere vellem; fas fit tantum innuere utiles illius effectus,

* Sauvages. Nofologia Methodica.

effectus, Imaginatione operam conferente, nonnunquam forsan augeri posse.

Difficile certe foret, forsan haud fieri potest, ut, agendi modum, per quem Febres istae ita vel sanentur vel leniantur, rite explicemus. Natura etiam illius affectus quo Febris paroxysmus consistat; vel potius, mutationum illarum corporis quas Febris inducat, minimum nobis hucusque perspecta; nec naturam illius actionis animi in corpus, qua febri vel occurrere venienti, vel saevientem fugare, possit, melius cognoscimus.—Quidam putarunt, Imaginationem excitatam cursum sanguinis augere, vimque corpori sufficere; hincque fieri ut corpus novis quasi copiis instructum, cum morbo congredi, illumque fundere par omnino redditur. Aliis visum, Imaginationem re praesenti plurimum occupatam, quo corpus morbi impetus sentiat, impedire. Utcunque tamen alii atque alii homines talium Imaginationis effectuum rationem reddant, hanc esse in causa, minime in dubium vocandum.

Probabile

Probabile videtur non cunctas Febres Intermittentes eodem omnino modo ab Imaginatione affici; me latet autem, si quisquam, varios illius in hos morbos effectus, accurate investigare conatus sit.

CAP. II.

TYPHUS IN GENERE.

MENTIS imperium quoque, in Febres hominum contagione ortas, late patet. Haecce res, quanquam de Peste praecipue notata, aliis omnibus magis minusve convenit. Auctores fere omnes de his febribus differentes dicunt, homines illis maxime obnoxios, quibus, propter metum, moerorem, aliudve pathema deprimens nimis diu fotum, mens languida, corpus laxum, debile. Contra pathemata illa quae mentem grate exagitant, et quasi tollunt, morbo occurrunt venienti, praesentem

praefentem fugant.—Pariter Imaginatio excitata magna vi ad has Febres depellendas pollet. Ita conftat homines Mania laborantes, hominefve quibus Imaginatio, cogitatis ad religionem pertinentibus, aliifve ufque et ufque volvendis plurimum accenfa, rariffime illis corripi.

Si talis revera vis Imaginationis ad morbos tales venientes occurrendos; nonne fperemus etiam Imaginationem quoque ad illos, jam faevientes, fugandos plurimum valituram. Morbum effe levem, remedia fummis viribus praedita, aegro fuadere, et omni denique ope niti debemus, ut noftris conatibus Imaginationem aegri femper adjutricem habeamus.

In his morbis fanandis, vis hujus facultatis nimium neglecta, minime tanti ac debuit habita. Vix dubitandum tamen illius utilitatem magis magifque in dies apparituram, tandemque, illam, attentionem quantam mereatur, fibi vindicaturam.

CAP.

C A P. III.

TYPHUS MITIOR.

HICCE morbus *Febris Nervosa Depressa* a scriptoribus Anglicis de medicina differentibus fere dicitur; et plerisque arridet sententia, Aretaeum sub nomine Νοσυ καρδιακων, (Morbi Cardiacorum) de hoc morbo agere.

Quanti egregius hic auctor vim mentis in hoc morbo sanando fecerit, e capite illo de *Curatione Cardiacorum*, abunde liquet. "Æger (inquit) plantarum, picturae, aquarum aspectu oblectandus, et haec omnia jucunde suaviterque intuenda. Amicorum praesentium locutiones sint joculares atque ridiculae. Summa sit in corpore quies, in animo hilaritas. Ipsum decet forti bonoque esse animo; et medicus illum cum suavi oratione ad bonam spem cohortetur, varioque alimento et vino opituletur. Decumbat vero in aëre "frigido,

"frigido, aut et ad Urſam domus vergat; "moretur autem prope virentia prata, fon-"teſque et obſtrepentes rivos, nam ab hiſ-"ce emanans bonus halitus, et mentis de-"lectatio, animam et naturam ſuſcitat, vi-"taeque aegrotum reddit. Caeterum quis "ob inopiam haec aſſequi nequeat, imitari "oportet, et auram frigidam ramorum be-"ne olentium voluptariis flabellis captare, "et tempus vernum floribus et foliis prae-"ſentibus humum ſternere debet." Tales res locaque ſemper fuerunt laudata, ut ad Imaginationem accendendam apta, conatibuſque illius maxime faventia.

Vinum in hoc morbo ſanando ſemper fere adhibitum; plurimum certo valet. Quanquam vix dubitare liceat vinum quandam nec exiguam forſan vim in corpus ipſum proxime habere: mihi attamen videtur, effectus quos praeſtet ſalubres illius viribus ad mentem afficiendam maxime tribuendos. Modice ſumptum mentem erigit, ſenſus et pathemata grata, jucunda excitat; magna conanti Imaginationi plurimum favet.

vet. Ita propter arctum qui mentem inter et corpus intercedit nexum; corpus aeque fere firmatur et roboratur.

Iisdem principiis nixus, effectus salubres opii in hoc morbo explicarem. "Gentes "pene omnes in India, Japonia, Turcia, "Persia, et reliquis regionibus orientalibus, "opio depurato, frequentissime in convi-"viis, et extra illa, ad hilaritatem sibi con-"ciliandam, moeroremque discutiendum "utuntur." Theriaca veterum, quae junctis opio et aromatibus constabat, eodem, ut videtur, consilio a Galeno in Morbo Cardiaco sanando laudatur.

Musice etiam, pro rebus rite variata, quo venienti huic febri obviam eamus, vel jam saevientem fugemus, haud parum nos forsan adjuvaret. Quid, dum valemus, musice magis mentem erigit, roborat; quid Imaginationem et pathemata citius excitat, magisve accendit? Cur dubitemus igitur illam effectus eosdem in morbis praestituram? Quorundam quidem hominum, ut supra dictum, organa ita fabricata, vel mens ita condita

condita videtur, ut magis quam caeteri homines muſice afficiantur; omnes attamen vires illius plus minuſve ſentiunt et confitentur. —Nec haecce ſententia ut ſtulta habeatur et irrideatur, donec, ex certis experimentis, et obſervationibus accuratiſſime factis, omnino conſtet, illam inutilem eſſe.

CAP. IV.

PESTIS.

Et quae medici, omni fide digni, et quae probi homines alii, ſcientiae hujus expertes, ideoque praejudiciis vacui, a ſe viſa tradiderunt, nos non dubitare ſinunt, Imaginationem et pathemata illa quae mentem erigunt, ſaepius huic morbo venienti occurriſſe; et cum jam in corpore receptus ibi ſaeviebat, plurimum profuiſſe.

Cullenus vires mentis corpori adjutrices, quo Pesti venienti resistatur, plurimi habuit. "Mens (inquit) erigenda et munienda re-"bus quae contra primos morbi impetus "aegrum tueantur: sententia tristis, mor-"bum insanabilem, quantum fieri potest, "delenda; hominesque negotiis et laboribus "occupandi: unicuique eo uti liceat, quod "illi optimum videtur, quo se contra mor-"bum tueatur. Si amuletis et incantamen-"tis fidem habeat, illis, vel dilecto medica-"mento dummodo innoxium sit, utatur *." "Amuleta (verbis utor celeberrimi Hoff-"manni) contra Pestem praestantissima re-"media, non novum, sed in vulgus notum "est: non vero alio modo operantur, quam "quod magna fiducia praediti, non time-"ant Pestem, unde ab ipsa immunes de-"gunt. Et Sennertus inter causas Pestis "Imaginationem, terrorem ac timorem "ponit; et hanc causam putat primariam "quod Vespillones, et clinicae mulieres, chi-"rurgi, et alii qui animo praesenti et ala-

"cri,

* Cullen's Practice of Physic.

"cri, Peſte infectis et mortuis ſuas operas "locant, raro Peſte inficiantur, qui vero "minus praeſentes ſunt, ſubito inficiantur "et extinguantur *."

Nec minus Imaginatio, et pathemata quae mentem erigant, ad Peſtem jam ſaevientem fugandam valent.—Etiamſi de talibus illorum viribus minime pro dignitate et utilitate actum; quae autem auctores nonnulli hoc de morbo ſanando quaſi obiter dixerunt quo minus de illis dubitemus obſtant. Quod hanc quoque quodammodo ſaltem firmet ſententiam, a quibuſdam veterum ſcriptoribus edocemur, res ad Imaginationem et pathemata accendenda tantum aptas, plurimum in hoc morbo ſanando profeciſſe. Ita Plutarchus de Muſice agens narrat: Peſtem funeſtiſſimam, tempore Thaletis Creta orti, Lacedemone ſaeviiſſe. Cum omnia quae adhiberentur medicamenta irrita ceſſiſſent, Cretam miſerunt legatos, qui clarum hunc philoſophum orarent ut miſeris illis adeſſet et ſubveniret.—Non illi ad medicamenta recurritur. Probe

novit

* Hoffman. de Peſte.

novit quantum mens ad corpus afficiendum polleat, et omnia quaecunque mentem maxime accendere poſſint, diligenter exquiſiverat et perpenderat. Inter illa muſice eminet; et ejus vires illi optime perſpectae.—Ad muſicen igitur nunc confugit; tantaque cum peritia et tam felici exitu uſus eſt, ut morbus brevi evaneſceret omnino.—Nec dubitandum ſummam ipſius famam, haud parum, ad vires muſices adjuvandas, contuliſſe; nam impium fere viſum fuiſſet putare, aliquid utcunque arduum viri conatibus reſiſtere poſſe, cui crediderunt eſſe cum ipſis ſuperis conſuetudinem. Exemplum virium Imaginationis et Pathematum aliud memoriae prodidit Aurelius Victor. "In "Peſte illa (inquit) quae, Romae, ſub ini-"tio ſeculi quarti ab urbe condita, tantas "ſtrages fecit, Romani, oraculo ſuadente, "decem legatos (quorum primarius Quin-"tus Ogulnius,) Epidaurum miſerunt, qui, "Æſculapium, ut iis ſuccurreret, ſupplices "orarent. Quodam die poſtquam ad Epi-"daurum adveniſſent, cum ſtatuam Æſcula-

"pii

"pii conſpicerent, et illius magnitudinem "mirarentur; ſerpens ex illius foemore "exſiluit, qui, mentibus illorum qui adeſ-"ſent, potius reverentiam quam metum in-"jecit. Iter per urbem, in populi conſpectu, "qui viderent et ſtuperent, faciens, ad lit-"tus progreditur; Romanorum navem aſ-"cendit; et in Quinti Ogulnii cubiculum "ſe recepit. Legati, quod Deum ſecum ve-"herent, plurimum gaviſi, vela pandunt.— "Cum ad inſulam Tiberis ventum, ſerpens "ſaltu terram petit: hic, templum Æſcula-"pio ſtruunt, et Peſtis ſtatim fugatur." Probe ſcio, plurimos, hiſtoriam quam jam tradidi fictam prorſus, credituros: et mihi quidem veriſimile videtur, quaedam falſa, omnia nimium aucta et exornata eſſe.— Forſan ita illius rationem reddamus. Morbus hicce tam late graſſans, tam funeſtus, non medicorum ſolum, verum omnium, quibuſcunque occupati fuerint negotiis, ſummam ſibi attentionem vindicaret. Brevi illis conſtaret, illa plurimum morbo venienti favere, vel jam preſentem gravare,

quae-

quaecunque, cogitata ſolicita, deprimentia, in mentem inducere conferant; contra, quaecunque, mentem quietam hilaremque reddere, ſpem fidemque facere poſſint, illa plurimum ad morbum venientem arcendum, vel preſentem profligandum valere.—Omnibus igitur viribus niterentur, ut civium mentes erigerent, firmarent. Quid igitur ad rem exoptatam conſequendam melius a Senatu Romano excogitari potuit?—Nobis quidem, iter per mare in hunc finem ſuſceptum abſurdum prorſus et ridiculum videatur; verum ſi ad ignorantiam, et ſuperſtitionem Romanorum ſpectetur, de eo melius forſan cenſeamus.

Nec ſilentio praetereundum Peſtem, rarius inter illos, qui Hypochondriaſi, Melancholia, Mania laborant, ſaevire. Minime mihi arridet ſententia celeberrimi viri Joannis Hunter, illos a Peſte immunes vivere, quia, alius jam praeſens morbus obſtat quo minus haec nunc corpus invadat; verum contra, veri ſimilius mihi videtur, rem ita fieri, quia Imaginatio et pathemata in his morbis valde excitata ad alia omnino vertuntur.

C A P.

CAP. V.

PHRENITIS.

Plurimi medici putant Phrenitidem minime morbum *idiopathicum:* certo rarum hoc morbi genus.—Si Phrenitis autem revera exiſtat, haud dubitandum Imaginationem excitatam ſanguinis curſum augendo, plurimum ad illam gravandam collaturam. Hinc Aretaei, et Coelii Aureliani conſilium ſapiens pendet. "Parietes (ait Aretaeus) ſint "laeves, aequales, neque picturis exornen-"tur; pictura enim parietum mentem tur-"bat. Nam prae oculis falſa quaedam ſi-"mulacra obſervantur; et quaedam non "eminentia tanquam eminentia manibus "contrectant: omniſque occaſio, ma-"nuum agitationem, provocat. Ami-"ciſſimi eos inviſant; fabulae et ſer-"mones animum ne vellicent, quum de-"lectabilia omnia eſſe oportet, illis prae-"cipue quorum iracunda inſania eſt *."

"Sit

* Aretaeus de Curatione Phreneticorum.

" Sit etiam (verba ſunt Coelii Aureliani) " ſine ullo picturae figmento locus; ne viſa aegri ex picturis mente accipientes, " quae Graeci phantaſmata vocaverunt, plus " aſperentur, aut in riſum ſolvantur. Te- " nue atque blandum lumen immittatur lu- " cernae aut lucis aetheriae, ſed arguto uſu " machinatum, quo, velut per quandam " cavernam, aegrotantis vultum perfundat, " et nullas tangat alias corporis partes. Sic " enim mitigabitur alienationis augmen- " tum, et adjutorium id paſſioni aptum, " congrue ſervabit qualitatis effectum." Si lux immiſſa aegro ipſi ingrata; vel illi nocere videatur, rebus quae Imaginationem et pathemata excitent oculis offerendis, jubet idem auctor, ut cubiculum quo aeger decumbat obſcurum fiat. Si vero tenebrae noceant, quandam quaſi mentis dubitationem faciendo, vel ad cogitata triſtia et deprimentia ducendo, lucem immittendam ſuadet.

Ariſtoteles de " Inſomniis" differens notat quoque, homines Febre laborantes, ſaepe ſibi fingere, a quadam tenui ſimilitudine, ſe

animalia

animalia in parietibus conſpicere, "Δια και "πυρετεσι ενιοτε φαινεται ζωα, εν τοις τοιχοις, "απο μικρας ὁμοιοτητος των γραμμων συντιθε-"μενων."

C A P. VI.

P O D A G R A.

VETERES notarunt, et quotidiana quidem obſervatione liquet, Podagram valde a mente affici. Pathematum imperium certe, hic, latiſſime patet. Quidam ferunt, illam aliquando a pathematibus ſolis originem duxiſſe: et minime dubitandum pathemata plurimum ad paroxyſmos redintegrandos valere. Nec raro illorum conatus, Imaginatione adjuvante, diros morbi cruciatus lenierunt: etiam (quanquam fatendum et dolendum exempla rariſſima) pathemata et Imaginatio, omni quaſi vi, nitentia, Poda-

grae venientis impetui reſtitiſſe, vel Podagram jam ſaevientem fudiſſe et fugaſſe dicuntur. " Homo (inquit Hildanus a Swie-
" tenio citatus) ſpectri vel umbrae ſpeciem
" mentitus, alium Podagrae paroxyſmo la-
" borantem, e lecto raptavit, et illum dorſo
" impoſitum, ad imas ſcalas ferebat, pedi-
" bus et cruribus, ut deſcenderet, gradus
" ferientibus. Illi ita tractato, uſus pedum
" et crurum illico rediit, et maximo terrore
" permotus, ſcalas iterum, quam celerrime,
" aſcendit. Poſt hoc, multos annos prorſus
" Podagra immunis vivebat." Ecce alterum ab eodem Swietenio prolatum exemplum: " Quidam, quem Podagra quadra-
" ginta annos divexaverat, capitis damna-
" tus ad mortem duceretur. Illi jam mo-
" rituro, venia delicti conceſſa, (mirum
" dictu) agilitatem vimque priſtinam pe-
" dibus cruribuſque ſtatim reddidit. Plu-
" res quoque annos poſtea vivebat, ſine
" unico etiam Podagrae paroxyſmo *."—

Minime

* Swieten. Commentar. in Aphoriſm. Boerhaav.

Minime adhuc liquet quantum Imaginatio ſola in Podagra polleat.

C A P. VII.

HÆMORRHAGIÆ.

CONSTAT pathemata ad Haemorrhagias afficiendas plurimum pollere; nec cur res ita ſe habeat, rationem reddere difficile. Effectus tamen, pariter ac pathemata quae illos produxerint, valde diverſi, nonnunquam prorſus contrarii. Pathemata violentia dicta, corpus exagitando et quaſi convellendo, ſanguinis curſum promovent: contra, moerore, metu, et cunctis illis pathematibus quae mentem deprimant, lentior languidiorque redditur.—Haec igitur excitare, intendere; illa temperare, componere, dummodo Haemorrhagiae nimiae videantur, multum certe proderit. Manifeſtum

quoque

quoque pathemata excitantia, ita, ad Haemorrhagias redintegrandas plurimum valitura.

Nonne Imaginatio pariter ac pathemata *excitantia* ſanguinis curſum auget? Nonne veriſimile Haemorrhagias hominum ſaltem corporis plenioris hinc nonnunquam originem ducere; et veriſimilius adhuc Imaginationem Haemorrhagias ſaepius redintegrare; nonne quoque probabile Imaginationem gravidarum nimium excitatam nonnunquam cauſam abortus extitiſſe.—Gravidis Imaginatio fere agiliſſima, et vividiſſima, facile et magnopere levibus accenſa cauſis; illis corpus valde irritabile.

CAP. VIII.

SCORBUTUS.

TRISTITIA, ſpei abjectio, ſcorbutum ſemper comitantur et augent; et animus de-

missus corpus illi opportunum reddit. Hinc moestos, meticulosos fere corripit. Quodcunque anxia illa et deprimentia cogitata mente depellere, et alia jucunda, grate excitantia et erigentia inducere possit, ad morbum leniendum et sanandum plurimum confert. Auctor historiae illius itineris, per mare, forti viro Anson facti, dicit, "Quod-"
" cunque animos nautarum fregisse, spesque
" minuisse, id morbum semper plurimum
" gravasse; illos enim, qui diu eo laborave-
" rant, fere de medio morbus sustulit; et alios
" facilioribus navis negotiis pares, ut se in
" lectum reciperent, coegit. Hinc liquet
" (auctor adjicit) mentis hilaritatem et co-
" gitata erigentia ad morbum venientem
" arcendum vel praesentem leniendum et
" fugandum haud parum profutura *."
Dominus Ives, nos, quoque exemplo edocuit quam utile in Scorbuto sanando mentem ciere et accendere. "Cum classis Bri-
" tanniae (inquit) in Stationem *Theres* dic-
" tam (Februario millesimo septingentesi-
" mo

* Anson's Voyage.

"mo quadragesimo quarto) venisset, nava-
"les nostri socii, classem hostium cum nos-
"tra brevi congressuram, certiores facti
"fuerunt. Igitur non sani solum, verum
"aegroti quoque maxima voluptatis et
"gaudii signa ostenderunt. Hi mire con-
"valuerunt indies; adeo, ut, die Februarii
"undecimo, quum nobis cum conjunctis
"Galliae et Hispaniae classibus congres-
"sum est, tantum quatuor vel quinque
"morbo lecto detenti fuerunt *."

Quantum Imaginatio ipsa in Scorbuto sanando pollet, historia apparet quam celeberrimus medicus Lind, ab alio auctore citans, nobis in aestimabili suo opere de Scorbuto tradidit. Res fiebat quum Breda anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto obsidione teneretur. "Urbs haecce (inquit)
"omnibus malis, quae, defatigatio, ali-
"menta mala, mentisque solicitudo, moe-
"ror mortalibus inferant, tentata fuit. Scor-
"butus quoque dire saeviit, plurimosque
"de medio sustulit. Praesidio tot tantis-
"que

* Ive's Journal.

" que malis fracto, et urbem jam deditu-
" ro, Princeps Auriacus cum metuisset ne
" urbs in hostium ditionem veniret, ne-
" que illi subsidia ferre posset, literas
" introducendas curavit; quibus, se illi
" quamprimum auxilia missurum pollici-
" tus est. Simul, quaedam medicamenta,
" magni dicta fuisse pretii, et magnarum
" ad Scorbutum sanandum virium misit,
" plura ejusdem generis brevi missurus.—
" Illorum effectus prorsus mirabiles. Sin-
" guli medici hujus medicamenti tres par-
" vas phialas acceperunt. In vulgus ubi-
" que editum, quod tres vel quatuor gut-
" tae, congio liquoris, vim salutarem im-
" pertiri potuerunt.—Medicamentum hoc-
" ce, tam mira faciens, omnibus adhibi-
" tum: neque, ipsis praefectis, arcanum
" doli militibus tam utilis patefiebat.—
" Omnes ad nos convenerunt; singuli oran-
" tes, ut nonnullam divini medicamenti
" partem illis reservemus. Hilaritas iterum
" in cujusvis vultu se ostendit, et fides vi-
" rium medicamenti ubique valuit.—Tanta

" et

" et tam mirabilis hujus doli vis, ut pluri-
" mi, brevi et omnino ſola illius ope con-
" valuerunt. Quoſdam qui per menſem
" antea ne ſemel etiam membra moviſſent,
" plateas perambulantes membris ſanis, rec-
" tis, validis conſpeximus. Se, egregio be-
" nigni Principis remedio, ſanatos praedi-
" cabant, gloriabantur. Motus illorum ar-
" tubus nunc ſola cum oleo fricatione reſ-
" titutus; et alvus ſponte, vel parum tan-
" tum medicamentis adjuta, muneribus ri-
" te functa eſt.—Multi qui dixerunt om-
" nia alia remedia illis plurimum nocuiſſe,
" paucos intra dies, laeti, ſtupentes, reme-
" dio eximii Principis, convaluerunt.—Nar-
" ratio haecce ſingularis (pergit clarus Lind)
" vix fidem faceret, ſi, non obſervationibus
" maxime accuratis, et optimis morbi hiſ-
" toriis omnino conveniret. Memoriae
" traditur auctore ingenuo, fido, qui ipſe
" urbi interfuit. Nos certiores facit ſe
" quotidie quomodo aegri ſe habuerint, li-
" teris mandaſſe, et miratur valde, illos tam
" brevi et tam inopinato convaluiſſe.—

" Hinc

"Hinc, magnam et plane miram vim Ima-
"ginationis et pathematum ad corpus affi-
"ciendum edocemur. Haecce, in morbis
"ſanandis, nimium neglecta, quos, fere ſo-
"la vi medicamentorum ſanare conamur.—
"Hinc fit, ut, idem remedium, in eodem
"etiam homine, non ſemper effectus eoſ-
"dem praeſtat, atque, ut vulgaria medica-
"menta, medicis circumforaniis temere ad-
"hibita, ſaepe proſperrime cedunt; et fere
"in aegrotis meticuloſis, et ſuſpicacibus in-
"utilia omnino ſunt *."

Ita tentamini huic majoris, quam pro ſolita, molis finem imponam. Quorundam aliorum effectuum Imaginationis, quam quae ad rem, de qua hic agitur, pertinent, memini; quo alios ad vim Imaginationis variam latius altiuſque inveſtigandam perinde ac illius dignitas et utilitas poſtulent, accendam. Quaſi haud a re hic propoſita alienum, an fides Imaginationem unquam comitetur, quaeſivi; et eadem de cauſa pluribus in verbis de nexu, qui inter eam et pathe-

* Lind's Treatiſe on the Scurvy.

mata intercedit, differui.—Pauci tantum morbi in hoc opufculo memorantur; cum enim minime mihi fperare licebat me rem totam pro dignitati perquirere poffe, tantum exempla quaedam ad utilitatem ejus in medicina illuftrandam expromere ftatui.

Quidam forfan mihi vitio vertant, me fafcinationem, et vim quam in tenerum foetum exercet Imaginatio matris omnino praetermififfe. Has res optime fcio omni tempore a vulgo multum laudatas, nec me latet philofophos et medicos fummi noninis non defuiffe qui fidem de his ftabilire conati funt. De rebus tam dubiis, tam alta caligine merfis, me nihil certum ftatuere poffe lubenter fateor. Qui autem viribus mentis majoribus praeditus, et magis fauftis fub aufpiciis eas aggreffus fuerit, illi forfan felicius cedant. Mihi fat erit has res, et eas de quibus differui, procul oftendiffe; et fi quem, ei monftrando res ita indagatione dignas, tenues hi mei conatus accenderint, hoc me plurimum femper juvabit.

FINIS.